PROPERTY
of the
BOYLSTON,
Medical Library
CAMBRIDGE.
Callender Sc.

6
6
27

MAXIMILIANI STOLL

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI

MEDICINAE CLINICAE.

P. P. O.

PARS SEPTIMA.

RATIONIS MEDENDI

POST EJUS OBITUM EDIDIT ET PRAEFATUS EST

IOSEPHUS EYEREL.

VIENNAE AUSTRIAE

SUMTIBUS IOH. PAUL KRAUSS

MDCCXC.

SECTIO I.

EPHEMERIDES

ANNI 1781.

EPHEMERIDES
ANNI 1781.

Januarius.

Ad medium Januarii frigus moderatum; raræ nives delapſæ, attamen terra nivibus erat cooperta ſemper.

Die 14 & 15 frigus ſiccius & urentius; dein iterum multo mitius, & aura humidior; terra nivibus tecta.

24 Humidum valde calidum.

25 Auſtro calido flante nives defluunt, magna mollities ubique.

26 & 27. Omnia lutoſa.

Inter fœminas *pituitoſæ febres ſimplices;* inter vetulas *peripneumoniæ nothæ* cum & ſine phlogoſi. Præmiſſis per plures dies ſalinis, oxymelle, tandem *emeticum præ purgante.* Amareſcens pituita prolecta eſt; levamen. Pauciſſimæ febres pituitoſæ inter viros; potius autem inflammatoriæ aut mixtæ.

Tetanus maxillæ in puella Nro. 44. Opium & balnea aquæ dulcis. Intra quinque ſeptimanas ſanabatur iisdem.

Quartanæ cortice abſolute indigebant, præmiſſis ſalinis.

Poſt medium Januarium *plures pituitoſæ*, quæ a quibusdam pro putridis habitæ, & ſtimulantibus tentatæ mali moris evaſere, & exhibuere petechias.

Puella rheumate brachii crurisque, & chorea ſancti Viti poſt medium Januarii correpta ad nos venit. Morbi nervorum, hyſteria, hypochondriaſis, epilepſiæ, tetani, choreæ S. Viti, ſiderationes artuum &c. multo crebriores hac tempeſtate fuerunt, quam alia; inde etiam medendi methodus patet, ſcilicet, per lenia ſalina alvum blande moventia, prout ipſa princeps, & do-

minans febris. En iterum, quanti interſit noſſe conſtitutionem anni!

Præterito autumno & hac hyeme benigne actum eſt cum phthiſicis; perpauci enim perierunt; quin imo quosdam ſanavimus ad extrema jam redactos, ſudantes, ſumme emaciatos &c. Item quidam ſicci, ſtrictique, qui omni anno adulta hieme cruenta ſputarunt, *hac hieme* bene habuerunt.

Nullo anni tempore tot tantasque chloroticarum querelas audivi, quot & quantas autumno exeunte prægreſſo, & hoc menſe. Multæ quoque prima vice hoc tempore chloroſin pati cœperunt. Epilepſiæ multæ habituales, per æſtatem aut ſilentes, aut raræ, *nunc* fuerunt difficiliores, & multo crebriores. Fœminæ ægrotæ *multò plures*, quam viri, & morbis *diuturnioribus*, minus acutis, perparum inflammatoriis. At vero viri *pauciores* numero, ſed acutius, & periculoſius, & cum inflammatione majori. Ceterum in utroque ſexu fuit febris pituitoſa.

Morbus venereus hoc autumno, & præcipue hoc menſe difficillime, aut non omnino poterat ſanari.

Invincibilis hinc inde in *Viris* anaſarca, & longa, & incidentibus ſimulque purgantibus devicta, item roborantibus.

Convaleſcentiæ tardæ etiam inter viros; magis tamen inter fœminas; tumores pedum oedematoſi, diuturni poſt leves morbos, maxime poſt rheumata.

Februarius.

Initio tempus humidum, frigidum, lutoſum; raræ nives ſuperfuerunt.

6. Noctu nives delapſæ ſunt.

7. Frigus ſiccum & glacies; at vero

8. Iterum humor multus, frigidusque, & multæ nebulæ.

9. Cœlum ſerenum; diffluentes nives; lutoſa omnia.

10. Idem. Inde varium; ſæpius tamen ſerenum.

Die 20. nives; exinde nebulæ, tenuiores nives; venti ad finem usque.

Non multæ acutæ, at plures catarrhi.

De phthiſicis hujus anni, item de hæmoptoicis quædam: nam pauciores phthiſici obſervabantur, & quædam aut curabantur, quos ex aliorum annorum obſervatio-

vationibus habebamus deploratos, conclamatosque, præter omnem ſpem, vel vero ut annoſum malum fuerat, ita levabantur, ut fungi ſuis laboribus potuerint, & ad ſanitatem propius acceſſerint. Curabantur autem venæ ſectione una, pluribus, dein meris emulſis, emollientibus, nitroſis, *tepidis* affatim hauſtis. Febre decreſcente, aut etiam jam profligata, eadem emulſa continuabantur, ſed perparum lichenis islandici jungebamus, præcipue in fœminis; viri enim hujus uſum minus commode ferebant, & ſolum pro cura confirmatoria. Tandem idem remedium jam non tepide dedimus, ſed ad calorem cubilis; demum meraciori lichenis islandici decocto utebantur. Erant ſceleta obambulantia, cute aridiſſima, ſicca, inperſpirabili, quam in una tepidi balnei uſus emollivit. Duorum, triumque quin etiam plurium menſium curatio fuit. Non poterat malum urgeri: in pejus non ruiſſe initio, jam erat nobis profeciſſe.

Qui aliis annis, menſe plerumque Januario hœmoptœ inflammatoria tentabantur, hac hyeme ab eo malo immunes vixere. Univerſim hæmoptoicis ex inflammatoria pulmonum diatheſi, itemque phthiſicis ob

eandem cauſſam tempora phlogiſtica vidi periculoſa, pernicioſa, pituitoſa autem & bilioſa proficua. Hinc vel in hisce morbis quid boni ſperandum, quid mali metuendum, diſces etiam ab anni conſtitutione.

Poſt medium menſem crebrior inflammatio adfuit in primo ſtadio febris pituitoſæ aut bilioſo — pituitoſæ. Exactis 7 aut 11 diebus, cum interea venæ ſectio una vel altera debuerat fieri, aut bene habuit æger, aut emeſis profuit.

Non paucæ peripneumoniæ nothæ ſalinis, eccoproticis, emeſi curatæ ſunt, poſtquam aut ſanguinem detraximus, una pluribusque vicibus, aut etiam venæ ſectionem neglevimus pro ratione inflammationis complicatæ; pinguiculi, ſeniculi, & maxime vetulæ hoc morbo ægrotarunt. Morbo curato manſit tamen aliqua adhuc tuſſis, & læſa ventriculi functio; amara, adjecto pauco ſale medio, profuerunt.

Prout peripneumoniam veram ſubinde vera quoque phthiſis excipit, & ſuppuratoria, ita notham peripneumoniam excipit phthiſis *pituitoſa*, ſeu æque *notha.*

Febre utplurimum carent, tuſſis aſſidua, veſperi major, cum repleti thoracis, &

& nonnunquam quaſi exulcerati ſenſu; ſibilus, ſtrepitus inter tuſſiendum, item etiam ſubinde inter reſpirandum. Veſperi noctuque orthopnoea, ſæpius aut ſemper ferme aſthmatica reſpiratio. Sputa copioſiſſima, flava, flavo — viridia, vetuſti butyri inſtar, aſpectu pus referentia, ſed pure multum conſiſtentiora, & tenacia ductiliaque inſtar paſtæ ductilioris. Emaciantur, ut ſceleta ſint mera, cute rugoſa, craſſa, pendula, furfuracea, imperſpirabili, elephantina. Hoc rerum ſtatu levantur a lichene, curantur a decocto corticis peruviani.

Aſthmata per autumnum & hyemem ad hanc usque tempeſtatem frequentia veſpertina, nocturna. Purgantibus incidentibus primo, dein amaris, gentiana, absſynthio, quaſſia &c. curata.

Regnabat hucusque febris *pituitoſa*; ſæpius ſimul bilioſa labes adfuit; ſubinde quoque diatheſis, inflammatoria, ſed non diuturna; nonnunquam utrumque vitium adfuit, ita tamen, ut ipſa *pituitoſa* febris fuerit ſemper *dominans*.

Vix ullam febrim vidimus per autumnum & hyemem, quæ non habuiſſet efflo-

re-

reſcentias quaſi ſcabioſas circa nares & labia, in quibusdam in brachiis.

Amarorum uſus fuerat valde neceſſarius, cum alvo ſemper faciliori ſub harum febrium exitum.

Forma febris pituitoſæ ea fuit, ut thorax ferme ſemper afficeretur, fueritque plus minus ſemper *peripneumonica.*

Exitus bonus in ſanitatem dicta methodo.

Paucis, poſtquam morbum per 8, 14 &c. dies neglexerunt, jam non ſimplex febris *pituitoſa*, aut *bilioſo-pituitoſa* fuit, ſed ejusdem gradus quidam altior, qui nobis *ſynochus putridus ſaburralis* audiebat.

His ſubinde exanthemata, etſi perraro viſa ſunt miliaria, uni petechiæ ſubrubræ, flavæ, cinereæ apparuerunt. Eadem methodus medendi fuit reipſa, ſcilicet ſalia media, oxymel, emeſis dein; demum vero decoctum graminis, taraxaci cichorei, cum arcano duplicato, oxymelle; tandem manente ſtupiditate, pulſu debili, aut naturali, urinis naturalibus, manenteque magna virium proſtratione, ſomnolentia; dedimus florum arnicæ unciam unam decoctas, cum ſyrupo aceti. Magna florum arnicæ toleran-

rantia fuit, non enim ullam cardialgiam querebantur. Rediit ſenſim ſanitas.

Hydrops quædam eadem methodo ſanabatur, ſolventibus primo, dein amaris, alvo facili perſtante.

Eandem quoque curam apoplecticis fecimus; præmiſſa una, quin & pluribus venæ ſectionibus, incidentia, eccoprotica ſolventia, dein vero amara; alvo lubrica aliquantum manente, tandem artubus mobilitas onciliata, ante reſolutis, pilulis, ex aſa, camphora, caſtoreo, extracto florum arnicæ paratis.

Mirum eſt, quam omnes morbi ſecuti ſint genium *febris popularis*, nempe pituitoſæ.

Plures morbi, & plures affectiones morboſæ, languores, apepſiæ, bradypepſiæ, laſſitudines &c. inter fœminas, quam inter viros.

Martius.

Primi dies nivoſi, nebuloſi, frigidique.

Die 13 depurari cœlum cœpit, ſerena tempeſtas, ſed frigidior, frigore ſicco, ita 14 & 15.

Dein

Dein amœnum usque ad diem 28; nocte diem hunc inſequente altæ nives.

29. Lutoſum, & nives adhuc omnibus in locis ferme diffluentes.

31. Iterum ſol.

Hujus menſis initio ſynochi imputres regnabant in omni ſexu, hac tamen cum differentia, quod ſtadium primum huius ſynochi *in viris* fuerit magis inflammatorium, minorque univerſim pituitæ colluvies in ſtadio morbi ſecundo, præterea *in viris* minor amaror pituitæ fuit. Contraria omnia *in fœminis*; aliqua in principio inflammatio fuit, cruſta magis discolor, item brevius ſtadium inflammatorium, *ſubinde nullum*; at vero copioſior, & magis amara pituita. Maior morbi in viris acuties; longior vero in fœminis duratio cum intenſione minore.

Forma morborum plerumque ea fuit, ut pectus plus minusque infeſtaretur, tuſſi ſimplici, vel oppreſſione, vel dolore pleuritico lateris, ita tamen, ut ſputa cruenta raro viſa fuerint; in reliquis vero febribus crebro dolores, tumoresque in hypochondrio dextro ſimul fuere. Nonnunquam & pectus, & hepaticum ſyſtema ſimul afficieban-

bantur. Oculi fere omnibus dilutiſſime flavi. Hinc inde quoque icteri & febriles, & non febriles comparuerunt.

Circa medium menſem icteri multo plures obſervabantur, qui blandiſſimis ſolventibus, melle, decocto graminis, terra foliata tartari, arcano duplicato, ſolvebantur; fortiora ſolventia raro profuerunt; & hæc inter additum fuit prioribus decoctum florum amicæ.

Pariter circa medium ſtaſes in ſyſtemate hepatico febriles, veræque hepatitides fuerunt fere in omnibus febricitantibus.

Videbatur autem mihi orta humorum ebullitione ob inſtantis veris calores, materies aliena e ſanguine extricari, & ad hepar ablegari, indeque cum bile, cujus hæc febrilis materies aliquam obtinuit ſimilitudinem, ad primas vias ablegabatur. Nonnunquam autem ablegata hæc ad hepar materies adhæſit ibidem fortius impacta, & dolores hypochondrii dextri, duritiemque, icterum febrilem, aut hepatitidem fecit, emolliente potu, fotuque, venæ ſectione ſanandam. Subinde vero faciles vias easque dilatatas offenderat hæc materies depoſita, perque hepar ad primas vias devenit; ibi

tunc

tunc aut morata eſt, & turgeſcebat, emetico excutienda, quod tamen raro factum eſt, cum materies raro *ſurſum*, frequentiſſime vero *deorſum* turgeret; aut ſpontaneam emeſin, quod raro; aut ſpontaneam diarrhæam, longamque, & mirifice levantem ipſa effecit, cum ægri ſalute.

Nonnullis tamen non omnis materies e ſanguine videbatur extricari febrili hoc motu, ſed ſolum quædam ejus portio, cum reliqua materies vix extricabilis, reſtaret, febrimque aleret ejus formæ, quam nos putridam apellamus: tum vero ſi nulla ullibi ſtaſis fuerat, aut quæ adfuerat, eſſet ablata, item ſi primæ viæ fuerunt puræ, aut repurgatæ, eſſetque ſtimulo opus, ob virium coctricium languorem, flores arnicæ decocti cum mellitis, ſaponibus vegetalibus profuerunt, vireſque ſuſtentarunt coquendo pares; donec viis variis, alvo, vomitu, anacatharſi &c. tota materies ſenſim ſine ſenſu eliminita fuiſſet, quod ultimum tamen tarde, & intra aliquot primum ſeptimanas perficciebatur.

Non tamen omnes has criſes, & criticas evacuationes ſoli naturæ relinquebamus, ſed per vices purgans ex aqua laxativa

tiva viennenſi dedimus, magno cum levamine. Subinde toto morbi tempore non floribus arnicæ, ſed ſolo decocto tamarindorum, manna, ſale medio, cremore tartari uſi ſumus feliciter.

Morbi facies externa fuit, ſicut in febre *bilioſa in putridam ſaburralem converſa*, cum vel ſine vitio hepatico.

Hanc febrim *depuratoriam* apte dicendam arbitror.

Quibusdam, ſed paucis, non hepatica regio, ſed lienalis doluit.

Nonnunquam adfuit vel *initio* ſimul inflammatio, vel acceſſit in *morbi decurſu*. Facile orgasmus acceſſit humorum. Unde factum eſt, ut *initio* major minorque, ſubinde vero generoſa methodus antiphlogiſtica debuerit adhiberi. Subinde primum in morbi decurſu, & ſero admodum ſtaſes inflammatoriæ accedentes venæ ſectionem poſtulabant.

Exeunte menſe crebræ hæmorrhagiæ narium, & levantes.

Aprilis.

1. Aprilis ſerenum, amœnum; nullæ ullibi nives obſervabantur; dein vero crebræ nives, pluviæ.

6. Ventoſum.

9. Amœnum; iterum ſol.

10. Idem; uti & poſtea.

15. Veſperi pluviæ, ventus uti etiam nocte proxima. Exinde ſerenum, calidum.

Die 29. pluviæ, frigus.

Tolerabant magnas doſes decocti florum arnicæ fere omnes hac hyeme, & hoc menſe.

Poſt medium menſem inflammationes plures; peripneumoniæ, pleuroperipneumoniæ non paucæ, ferme ſemper cum hepatitide, & ictero. Plures venæ ſectiones, & emollentiſſima requirebantur.

Menſe hoc toto, ut & priori, febris *depuratoria* verna paſſim obſervabatur, quam ita ex caſibus plurimis abſtraxi. Multa materies aliena hiberno tempore & autumno priori intra humorum circumeuntium territorium nata atque collecta, maxime

xime autem indolis pituitoſæ, excitato naturæ medicatricis ſalutari molimine ob veris calores *moveri* cœpit, atque intra *ſyſtema ſanguineum* turgere; quod quidem cum ſymptomatibus febrilibus peractum fuit.

Jam vero multiplex fuerat hujus turgeſcentiæ effectus obſervatus, quos hic ex ordine narrabo:

1) In quibusdam poſt aliquot dierum febrim diarrhæa orta eſt ſalubris & *levans* valde, aut *ſanans ex toto*, ſeu critica.

2) In aliis eadem materies rejecta quidem eſt ad primas vias, ita ut ſecundæ viæ ſeſe feliciter exoneravint in primas; verum hæ, ob neſcio quam inertiam, eandem materiam e ſyſtemate ſanguineo ſuſceptam non ejecerunt extra corpus, ſed repente ſigna materiæ in *primis viis turgentis* obſervari cœperunt; nunc *ſurſum*, nunc *deorſum* hæc materies turgebat; hinc modo emeſi, modo catharſi, modo utraque, vel *ſimul*, vel *ſeorſim* opus fuit; fere omnibus ante hanc in primis viis turgeſcentiam hypochondrium dextrum, paucis ſiniſtrum quoque ſimul, pauciſſimis ſolum ſiniſtrum modice doluit, colore ſubflaveſcente faciei oculorumque, ſubinde etiam totius corporis, tuſſi ſicca.

3) Nonnunquam hepar magis doluit cum febre majori, alvo tarda, rara, vomitu frequenti, inani, pituitoſo, aſſumptorum; durities in loco inter utrumque lobum fere medio, attactu valde dolens, cum urinis plerumque ictericis, façie in plerisque, oculis, corpore reliquo ictericis, ictero non ſaturato.

4) Plerisque, quibus hepar magis doluit, cum vera hepatitide ſimul aut pleuritis aut, peripneumonia ſimul adfuit. Ita hanc rem animo concepi: materiem alienam ſanguini commiſtam extricari, & aſſimulatam in bilis indolem, aut biliformem effectam, per hepar ſubire primas vias, indeque aut *ſponte*, aur *arte* evehi extra corpus. At vero eandem materiem ſanguini commiſtam arbitrabar, ſubinde difficillime moveri, ſed adhæreſcere, figique in hepate tanquam in ſuo ad primas vias itinere; hinc inſurgentibus validis vitæ viribus magnam & inflammatoriam ſtaſin in hepate, ſeu *hepatitidem*, nunc autem intercluſa hac via ad primas vias materiem a tergo inſequentem retineri, oririque orgasmos, & motus validos, & *ſupervenire* ſimul pleuritidem, peripneumoniam, pleuroperipneumoniam.

5)

5) Quibus hæ inflammationes ſupervenerunt, his antiphlogiſtica methodo ſublata *phlogoſis eſt*, & via per hepar reſerata, horum quidam paullo poſt alvo, vomitu, ſpontaneis aut artificialibus curabantur. Aliis vero diſcuſſa phlogoſi redire ſalus viſa eſt, ſed poſt aliquot reconvaleſcentiæ dies febris depuratoriæ novi impetus facti ſunt, qui imaginem *ſynochi putris ſaburralis* referebant. Sanabantur valde tarde, ſed certo, alvo faciliori, inter uſum decocti graminis, taraxaci, cichorei, florum arnicæ, & oxymelle, nitro, cremore tartari &c.

Nunquam vidi tot *hepatis obſtructiones*; nemo ferme inde penitus immunis fuit.

Nunquam etiam vidi *tot* recidivas, quaſi *totidem* conatus naturæ ſeſe depurare volentis.

Fœminæ *plures* ægrotabant, minus diu *inflammatorium* ſtadium durabat, at eo diutius duravit ſtadium putridum; inter fœminas pleræque recidivæ, & difficiliores. Viri ſolis fere antiphlogiſticis ſanabantur.

Cum putridas dixeram fœminarum febres, eam putridarum ſpeciem putavi, quam

lentam nervoſam dicunt, & quam in una altrave miliaribus albis ſtipatam vidi.

Interim tamen vidi Fœminas quasdam virorum more ægrotantes, ita ſcilicet, ut transacto ſtadio inflammatorio alvus leviſſime mota ſanitatem reſtitueret brevi tempore, aut vero, ut *ſola antiphlogiſtica* methodus ægros redderet ſanitati intra non multos dies. Fuere hæ fœminæ, quæ cito & ſolis antiphlogiſticis ex hepatitide, peripneumonia, & pleuroperipneumonia curarentur, tales, quæ *ακμην* ætatis prætergreſſæ ſunt, ſicciores vetulæ, ſtrigoſiores, rigidiores, & viroſiores, ſcilicet tales, quæ ad *habitum virilem* propius acceſſerunt. At vero poſt 30mum annum, molliores, aquoſiores victu uſæ, pauperiores, chloroticæ, paſtaceæ, obeſulæ his longius, & periculoſis febribus conflictabantur.

En, quid de hisce virorum & fœminarum febribus animo conceperim! Regnabat autumno præterito febris annua pituitoſa: ea per hyemem totam protenſa ver attigit primum; donec primo vere inflammatoria hinc inde diatheſis ſuboriretur; in viris hæc *nata* nova diatheſis inflammatoria in morbum erupit inflammatorium, ſimpli-

plicemque, qui ſolis debebat antiphlogiſticis ſanari; idem quoque contigit in fœminis illis, quæ quoad habitum propius accedunt ad viros. At vero in mollioribus, chloroticis, pauperioribus, *nondum* deleta, *nondum* ſubacta penitus pituita fuit, cum aliquid inflammatorii naſceretur. Hinc morbus compoſitus ortus eſt, *inflammatorio — pituitoſus*, nempe ex *annua nova inflammatoria febre*, & ex *pituitoſa*, quæ priori autumno annua fuit, tandem autem ſuperata hyeme, ſtationaria facta eſt, in ſexu ſaltem ſequiore.

At vero, cum inflammatio methodum poſceret antiphlogiſticam, pituitoſa radices egit altiores, & abiit in altiorem gradum, cili cet in lentam nervoſam, ſubinde cum miliaribus.

Hæc fœminarum epidemia analoga fuit epidemiæ illi, quam *Sydenhamus peſtilentem* appellavit; nam etiam præceſſit *conſtitutio pituitoſa*, cui inflammatio ſucceſſit, aut potius jungebatur; erat compoſitum genus febrium.

In hac hepatitidis ſpecie tumor durus elaſticus, dolens non raro obſervabatur in hypochondrio dextro, videbatur eſſe veſi-

cula fellea *diſtenta*, ob prohibitum effluxum bilis per ductum choledochum, craſſa forte bile obſtructum, aut inflammatum. Sapor oris amarus erat valde, acorem acerrimum in adſtantium nares ſpirabant; non erat hoc autem ſaburra bilioſa & amara ventriculi; ſed a bile in ſanguinem repreſſa, & humores omnes, hinc & ſalivam, humorem œſophagi &c. tingente. Hinc eſt aliqua ſubinde oris amari deceptio, hinc etiam quædam cautela practica circa uſum emeticorum.

Majus.

Calor, ſiccitas.
Die 23 nebuloſum; valde frigidum, ventoſum per quatuor dies.
Iterum calor & ſiccitas.

Iidem morbi, uti menſe præcedente.

Junius.

Dies ſicciſſimi, valde calidi.
At vero die 11 pluvia deſideratiſſima.
Inde

Inde pluvioſum & frigidum usque ad diem 18. Junii, quo die ſol ſubinde proſpexit.

Die 25 & 26 pluviæ. Inde ſerenum; calor.

Iidem morbi, uti menſe præcedente.

Circa 20mam menſis paulo plus querelæ de oris amarore, & paulo crebrior neceſſitas utilitasque emetici, attamen ſerius, & morbo provectiore. Profuere tamen magis evacuationes tum ſpontaneæ, cum artificiales *continuatæ*, attamen moderatæ per alvum.

Plures hoc menſe & præterito hæmorrhagiæ uteri a præcipitato partu & ſecundinis cito, ſponte abſcedentibus ſunt obſervatæ; quibusdam partus non erat præcipitatus, tamen mox hæmorrhagia ſecuta eſt; exempta placenta eſt, & impoſita turunda.

Febris pituitoſa *ſtationaria* adhuc eſt ab autumno prioris anni hucusque: huic vero inflammatoria primi veris hucusque producta jungitur; ſimulque accedit; ſimul hac tempeſtate aliquid æſtivæ bilis. Hinc febres omnes ſunt compoſitæ ex *ſtationaria* pituitoſa, & ex *duplici annua*, *inflammatoria* nempe, & *bilioſa*.

Tympanitidem *venæ ſectione* ſolvi, ut ait *Hippocrates*, ſub finem hujus menſis vidi. Sartor febre prius deſcripta laborans abdomen tumidum, & rigidis muſculis durum habuit, & dolens ſub rudiori attactu; facies ſubflava, & deſperabundi; calor omnino naturalis; bilioſa valde, & ſicceſcens lingua; pulſus debiles valde, molliſſimi, naturali celeritate; vomuit æruginem ſubinde, ſubinde aſſumpta aquoſa. Venæ ſectiones complures, emollientia cataplasmata ad totum domen, potus emollientes tepidi; enemata emollientia profuerunt. Poſt ſingulas venæ ſectiones, ubi ſanguis cruſtoſus eductus fuit elevari pulſus, & molleſcere abdomen cœpit.

Poſt undecimum hujus menſis, quo pluvia & frigidus humor incepit, plures dyſenteriæ viſæ ſunt. Plerumque ita compreſſæ ſunt: primo quiete in lecto, fotu & potu tepidis; nocuerunt omnia, utut lenia evacuantia. Sæpius, ſi morbi initium primum fuerat neglectum, venæ ſectiones debuerunt inſtitui. Eodem paſſu rheumatiſmi incedebant.

Choreæ S. Viti in binis puellis tentabantur varia ratione, gummi ferulaceis, valeriana, cortice peruviano, narcoticis &c.

fru-

fruſtra omnia. Utraque tandem incidit in febrim continuam regnantem inflammatorio-pituitoſo-biliofam. Sanatæ ſunt a febre methodo conveniente, ſimulque febre declinante, & tandem profligata declinare & profligari quoque cœpit chorea S. Viti.

Priori quoque menſe vidi puellam eadem chorea S. Viti aliis remediis fruſtra tentatam, curatam ſuperveniente febre pituitoſa non longa.

De puerperis nota: abdomen fluente ſanguine molle eſſe, uterum ſentiri manu appoſita amplum, aſſurgentem ad diaphragma, mollem tamen. Affuſa & infuſa frigida cum aceto ſæpe profuit; uni tamen ſiſti non potuit ſanguis hac methodo. Hinc frigida aqua & aceto imbutam ingentem turundam impoſuimus, quæ totam vaginam & os uteri obturavit. Hæmorrhagia ſiſtebatur paulo poſt ex multiplici ratione: 1) nam frigus uterum ad contractionem urgebat; 2) ſanguis collectus adhuc interea utero laxo dedit ſuſtentaculum (ſcio equidem, quid hic opponi poſſit, aſſerique poſſe, oriri nempe hac methodo hæmorrhagiam internam; verum habemus pro ratione obſervationes)

Hoc

Hoc menſe continuarum, itemque & remittentium (quas omnes triplici fonte prognatas ſupra dixi, *pituita* nempe, *inflammatione*, & *bile*:) frequens mutatio fuit in intermittentes; aut vero convaleſcere ex continua viſi, in intermittentem tertianam ſimplicem plerumque, ſubinde duplicem, ſunt delapſi, ſolventibus, ſubamaris, ſubinde vero etiam cortice ſanatis.

Magna quoque intermittentium ubique meſſis fuit pituitoſo-bilioſarum.

Multas hyſtericas vidi, quæ hoc menſe præprimis acceſſiones, easque *ſtatas* paſſæ ſunt. Primo ſolventia, dein vero largus cortex profuit. Hinc ipſa hæc paſſio, utut alias ſporadica, tamen hoc *tempore crebrius* viſa eſt, & de intermittentium indole participavit.

Icteri multi, non febriles, item etiam *febriles*, ſeu hepatitides. Febres erant pituitoſo-bilioſo-inflammatoriæ, cum vel ſine inflammatione hepatis.

Julius.

Die 1. 2. 3. 4. 5. *æſtus ingens*, & anonemia magna; torpor omnium animalium.

Die

Die 9. pluvia amœna, & valde reficiens. Inde æſtus ingentes, donec die 16 & 17 pluvia exigua, ſed frigus permagnum oriretur; inde frigus & pluviæ.

Die 26. ſol; calor iterum mediocris.

Die 27. a meridie ventus & ingentes pluviæ; exinde ad finem usque ſenſim iterum calor, mediocris tamen.

Intermittentes tertianæ ſimplices & complicatæ.

Hæ in continuas, aut in remittentes abierunt, & denuo in intermittentes.

Sanatæ ſalibus; decocto graminis, taraxaci, cichorei; raro, & ſero cortex dabatur.

Materies morborum genitrix fuit pituitoſo-bilioſa, cum inflammatione, maxime hepatis.

Dyſenteriæ & *rheumatiſmi* non infrequentes.

Morbi iterum longiores fiunt poſt medium menſem, pituitoſiores, cum miliaribus.

Auguſtus.

1. 2. 3. 4. 5. calores magni ſatis poſt prioris menſis frigora. Calores intenſi, &

ſine

ſine vento toto tempore, mira malaccia, & omnium ingens languor ac excedens æſtus, qualis poſt hominum memoriam non fuerat, ſine ullis pluviis.

20. Auguſti veſperi frigus & pluviæ per aliquot dies.

Die 23 24 & 25. calor iterum, moderatus tamen.

Ægrorum numerus major multo erat initio hujus menſis, poſtquam nempe poſt illud nuperum frigus aër denuo valde incaluit.

Maxime autem fœminas morbus arripuit, famulas pauperiorum ſervitiis addictas, iisque durioribus, lotrices, cachecticas, cacochymicas, chloroticas.

Morbi longiores fuere, linguæ mucoſæ, ſiccæ, glabræ, aridæ. Stupor & anæſtheſia, deliria taciturna, mitia. Pulſus & calor gravitati morbi non reſpondens, miliaria incerto die, levantia fuerint, nec ne, multum ambigas. Stimulos non tulere; convaluerunt melius ſolo potuum graminis, & aliorum antiphlogiſticorum uſu, item & taraxaci. Dolores veluti rheumatici artuum abdominis in hac febre miliari initiante obſervabantur, qui phlogoſin levem mentiebantur,

bantur. Omnibus aliquid fuit catarrhoſi, ſubperipneumonici ante miliarium conſpectum; iis vero obortis id vitium thoracis emendabatur. Nobis nec camphora, nec moſchus, nec veſicàntia, nec arnicæ flores profuerunt, ſed ſola diluens & antiphlogiſtica methodus moderata.

Multi quoque iterum icterici, quædam etiam hepatitides.

Dyſenteria non rara, non boni moris, niſi in febrim abierit tertianam.

Poſt menſis initium continuæ remittentes meſentericæ, ſeu lymphaticæ, pituitoſæ, bilioſo-pituitoſæ frequentiores. Quibusdam hæc febris ſenſim ſine ſenſu & tarde ſolvebatur, potiſſimum ſub uſu eccoprotirum, tandem & ſubamarorum. At vero multis viris æque ac fœminis, maxime viris, morbus ex remittente factus eſt intermittens, cortice ſalibus juncto, non copioſo, ſanandus facile. Fœminis autem compluribus, & paucis viris dehiſcere ſolidorum compages cœpit, & fieri vere continua & genuina putrida; tunc autem decoctum corticis profuit, aperta alvo.

Hæc febris fere ſemper tumores crurum & femorum reliquit magnos. Horum

uin-

uni alterive tumor diſparuit, aut minuebatur, receptis ut puto aquis in maſſam circulantium humorum; at repentina ad thoracem depoſitio facta eſt, & æger repente convaleſcere viſus, periit.

Inſolationes multæ meſſorum, itineratorum. In calvariis ſectorum aqua cruenta fuit, maxime in ventriculis, & per ſpecum vertebrarum.

Circa medium menſis larvatæ febres hinc inde comparebant, e. g. tertiana ſub lumbaginis forma; cephalalgia occipitalis quotidiana, periodica.

Quibusdam mox in principio acutæ febris peculiaris puſillanimitas, moroſitas, ſtuporque fuit, pulſibus non, aut parum alteratis. His convulſio repente facta. Arbitror ſeroſas metâſtaſes eſſe factas ad encephalum; hinc convulſiones. Plerique autem in convulſione perierunt.

Ingens ægrorum numerus ubique.

Fors *facilior* metaſtaſis ad caput ob *inſolationem* in fabris murariis, meſſoribus &c.

Vide-

Videbatur ſerum a ſanguine ſubinde celerrime ſeceſſiſſe; & feciſſe decubitum varium.

Medio menſe, & toto reliqui menſis decurſu febris *vere putrida* etiam inter viros frequentiſſima fuit, quam putridam κατ' ἐξοχὴν dicebam; caput ſtupidum, temulentum; dedolatio ingens; pulſus & urina naturales; etſi æger de ingenti calore querebatur, tamen ad attactum non caluit præternaturaliter. Mox cortex in decocto dabatur.

Exeunte menſe febres hæ putridæ videbantur primo eſſe tertianæ aut quotidianæ; mox autem erant *putridæ* continuæ.

Eodem tempore ipſæ intermittentes corticem fere ſemper exigebant, ſecus ac initio menſis. Hinc fere eadem & putridarum, & intermittentis regnantis natura fuit.

September.

Ad medium menſis ortum pluvioſum & frigidum tempus, idque continuo ad finem usque.

Innumeræ febres intermittentes tertianæ ſimplices, duplicesque, non difficiles, ſolventibus fere ſemper, & ſubinde pauco cortice domandæ.

Vix ulla hinc inde quartana, hæcque râriſſime viſa eſt, ſecus, ac aliis annis.

Nulla larvata febris mihi occurrebat hoc autumno, niſi unica ſub larva lumbaginis.

Intermittentes in continuas, continuæ in intermittentes abiverunt.

Poſt medium ſeptembris rheumata multa, & febribus bilioſis aliquid inflammatorii, maxime circa pulmones jungebatur; hinc crebriores venæ ſectiones.

Febris *ſtationaria* prioris autumni & hyemis præteritæ, quæ ad æſtatis usque medium perſtabat, ac *pituitoſa* fuerat, mutabatur in veram *putridam*, tandem in *bilioſam remittentem* ac *intermittentem tertianam* abivit, autumno initiante.

October.

Frigus nunc pluvioſum, nunc ſerenum, ita tamen, ut humidum frigus fuerit prædominans toto menſe.

In-

Intermittentes tertianæ maxime adhuc durant. Item frequentes intermittentium præteritarum ſequelæ; ſcilicet icteri, hydropes crurum, abdominis, pectoris, intercus. Hæ intermittentes ſunt utplurimum tertianæ ſimplices & duplicatæ, & ſi indolem ſpectes, *bilioſæ*, non malignæ, curatu faciles, ſolis ſolventibus, tamarindinatis, ſalibus, alvoque fluente, emeſi etiam ſubinde. Raro cortex fuit neceſſarius. Quartanæ multæ.

Remittentes quoque & continuæ multæ occurrebant, eodem modo ac intermittentes ſanandæ. Hæ aut remittentes aut continuæ erant vel *originarie* tales, vel ex intermittente prægreſſa: item abierunt ſæpe in intermittentes.

Indoles harum aut remittentium aut continuarum fuit *bilioſa*.

Variolæ mali moris, & inde multæ mortes, inter infantes potiſſimum.

Tuſſes quoque convulſivæ frequentiſſimæ.

Multo major eſt *bilioſarum* febrium copia nunc, quam fervidiſſimis diebus, putoque has febres primum caput efferre, ubi prægreſſo valido calore bilis exaltata eſt, &

abundat; hic enim humor abundantior diſflatur ſudoribus æſtivis olidisque; at ſi æſtatem repentinum & pluvioſum tempus excipiat, totius corporis bilioſa illuvies non jam ſuperficiem corporis petet, ſed interiora, ventriculum maxime & inteſtina, orietur *diarrhœa*, ſi ad cavum ipſum materies fuerit delata, vel vero *dyſenteria*, ſi ad corpus membranatum, vel morbus *bilioſus*, febris *bilioſa* ſimplex, ſi intus remanſerit.

Oriuntur quoque *rheumata bilioſa*, ſeu febres rheumaticæ bilioſæ, *bilioſo-pituitoſæ*, atque utraque *cum*, aut ſine inflammatione; humore nempe bilioſo per ſudorem alias difflabili, nunc vero ob pluvioſum tempus retento.

Hinc quoque eſt, cur *bilioſæ* febres potius ſub *autumnum* cadant, quam ſub *æſtatem*, utut per æſtatem generetur productrix febrium bilis.

Præſervat ſe a febre *bilioſa*, qui ingluviem, dein etiam exceſſivos ſolis ardores vitat, aut ſi hos vitare nequeat, ſi largius motam diaphoreſin continuet, neque aut ingruente pluvia, aut aura veſpertina nocturnaque ſibi patiatur ſupprimi.

Multæ

Multæ anginæ ſunt ubique rheumaticæ, at rheumate bilioſo-inflammatorio. Multi ubique hydropes crurum, femorum, intercus, thoracis.

November.

Usque ad diem 12 frigidum & ſæpius humidum; at die 18 Nov. *ſiccum* frigus; dein mollius, nebulæ.

Die 19 pluviæ plurimæ. Humor frigidus continuus.

Febricitantium ex intermittente, cujusvis *ætatis* ferme, exitus fuit in hydropem crurum, femorum, & plerumque in hydrothoracem; nocturna enim ſpirandi difficultas, & orthopnoea cum hydrope manifeſto crurum, femorum adfuit. Gramen, taraxacum, cichoreum, cum liquore terræ foliatæ tartari, & oxymelle ſquillitico; item extractum lactucæ viroſæ.

Aſthmata multa ſeniculorum, obeſorum; item melancholiæ laxorum & pituitoſorum.

Febrium tum intermittentium, tum continuarum numerus contrahitur.

Febris pituitoſa frequens modo; item peripneumonia notha.

Ubique variolæ pravæ, jam inde ab adulta æſtate.

Hoc autumno frequens tuſſis *convulſiva infantum*; frequentes hæmorrhoides *ani*, & *veſicæ*.

December.

Humidum, frigidum, pluvioſum.

Die 8 & 9 prima glacies, & ſiccum frigus. At paucis elapſis diebus humor itidem multus, nunc frigidus, nunc auſtrinus; ut tepor magnus fuerit ultimis binis diebus annum claudentibus.

Pituitoſæ, lentæ, nervoſæ multæ, graviores inter fœminas.

Hydropes multi poſt febres. Profuit primo ſalinum diu datum, cum extracto lactucæ & ſquilla; tandem cortex cum liquore terræ foliatæ tartari, extracto lactucæ viroſæ, & oxymelle ſquillitico. Dein his addebatur cortex.

Utilis valde cortex fuit hoc & priori menſe *ob univerſalem atoniam* ex æſtate prægreſſa præcalida, & ſubſequente autumno frigido humidoque.

Hoc

Hoc autumno multis catamenia emanſerunt, quæ per æſtatem adhuc fluebant.

Hoc autumno puellæ multæ chloroticæ factæ ſunt.

Animadverſio in præteritum annum.

Duæ ſolum hujus anni fuere conditiones, ſcilicet: pars prima in autumnum usque *calida valde & ſicca* fuit: pars vero altera *frigida ſimul* & *humida.*

Ubique *univerſalis atonia* fuit.

Accedente tempore *frigido & humido* febres *putridæ ſaburrales* ubique graſſabantur, ubi primaria fuit indicatio per epicraſin blande purgandi, & eccoprotice. Lenia tonica ex cichoreo, corticis decocto.

Annus 1782.

Januarius.

Menſis totus varius fuit, ita tamen ut frigus humidum primas tenuerit.

Toto hoc menſe complures adhuc ægri prouti menſe præcedente; plures tamen fœminæ, quam viri.

Nulla hucusque fuerat *determinata formataque* febris aut *ſtationaria*, nec annua;

ſed commixtum quoddam compoſitumque genus febrium graſſabatur; fuerat enim aliquid *bilioſi*, *pituitoſi*, *inflammatorii*, *catarrhalis rheumatici* &c. Hinc methodus varia, *compoſita*, *indirecta* aut *ſymptomatica*.

Vix ullæ mortes febrientium.

Intermittentium vis retuſa.

Vix unquam obſervavi, tertianæ quartanam ſuccedere, & vice verſa, prout id fuerat præterito autumno obſervatum.

Præterito autumno *plurimæ* intermittentes tertianæ & quartanæ. Nulla tamen larvata mihi hoc anno occurrebat; nulla etiam *quintana*, utut aliis autumnis viſa.

Plurimæ hydropes ex febribus, anaſarca potiſſimum.

Plurimi hoc autumno & hac hyeme hydrothoraces, cum, vel ſine obſtructo hepate.

Secui nuper cadaver hominis olim laute paſti, & qui vina meraciora bibit; tibia transverſa multum uſus olim eſt. A multis annis pulſum habuit omni modo irregularem; frequens & maxime nocturnum aſthma; præcordiorum tumor, tumorque oblongus, durus in loco veſiculæ felleæ.

Suf-

Suffocatus periit. Sectus exhibuit aquas plurimas in utroque cavo thoracis, veſiculam felleam totam cartilagineam, excepta unica particula vere oſſea. Calculi fellei bini magnique, & pulmentacea, dilute flava materies.

Menſtruorum ſuppreſſiones frequentes in debilioribus; hypochondriaſes, hyſteriæque crebræ.

Crebri articulorum dolores, carniumque inter articulos ſitarum, veſpertini, nocturni; lumbagines, iſchiades; laſſitudines a ſomno. Subflaveſcens pallor faciei; gingivæ depreſſæ, veluti abraſæ a radicibus nudis dentium, pallidæque, vel vero obſcure rubentes, tumentes, & prurientes, ac ſponte cruentæ, & halitu fœtente. Datis ſolventibus, eccoproticis, aceſcentibus profuerunt ſolæ conſervæ trifolii fibrini & cochleariæ. Scorbuticum fuit.

Hic autumnus, utpote mollior, phthiſicis minus fuit perniciofus.

Variolæ plerumque modo bonæ, utut etiam in priori menſe, utut per autumnum prioris anni fuerunt pernicioſæ.

Tuſſis convulſiva nunc rara. Curatur methodo *indirecta*, & anni tempore mutato.

Februarius.

A principio ad 25mum usque gelu magnum, & ſiccum frigus. Terra nivibus tecta.

Die 27. 27. aër mollis, ſerenus.

28. Confertæ & pluentes nebulæ.

Febris prior pituitoſo-bilioſo-rheumatico-inflammatoria exſpiravit, primo inter viros, dein, ſed nondum plene, inter fœminas; uti etiam ſcorbutus.

Hinc pauciores initio menſis acutæ febres.

Rariores intermittentes, rari hydropes.

Poſt medium menſem plures ægri *inflammati*, pulmonibus, hepate, inteſtinis.

Veſicantia in rheumatiſmis autumnalibus minus proficua, magis vero *conſervæ*, obſervabantur.

Autumnales ſanabat Februarius. — de adjutorio temporis anni. —

Quartanæ hucusque vix domabiles, uti & tertianæ, nunc, poſt medium februarium, ſolo decocto graminis, taraxaci, cichorei, cum arcano duplicato ſanabantur, emoriente nempe conſtitutione: inde regulæ quædam practicæ ſunt deducendæ, de uſu cor-

ticis

ticis diu aut minus diu poſt febrim continuando.

Nunquam vidi tot obſtructiones hepaticas *lentas* aliis annis, quam hac tempeſtate.

In his obſtructionibus erat *ſubinde* complicatus hydrops thoracis. Dedi ſaturatum decoctum graminis, taraxaci, cichorei cum tartaro ſolubili, oxymelle ſquillitico; item pilulas ex gummi ammoniaco, aceto ſquillitico ſoluto, & ſquilla *cruda*; præplacet hic modus dandi ſquillam, nam plus ſquillæ in pillulis ſumere poſſunt, quæ lente, ſed tamen efficaciter agunt.

Certam obſervationem feci hoc menſe; ſcilicet: plures antea *occulta lue* contaminati, ita ut vix ulla, aut vaga & incerta ſymptomata paterentur, hoc menſe repente enatum alicubi tophum mirabantur, & certa jam latentis morbi indicia monſtrabant magno emolumento; nam de morbo certi aptam medicinam fecimus.

Lues etiam antea cognita, magis tamen evolvebatur hoc menſe. Jungebatur his ſæpius diatheſis, aut febris inflammatoria. Mercurius dulcis, & multò minus *corroſivus* profuit, aut perquam raro; ſed potius

tius *mitiſſimus* mercurius crudus, ſive pillulæ *Plenkianæ* cum regimine valde antiphlogiſtico. Gravis obſervatio influxus anni temporis in morbum hunc ſporadicum, aliter alio anni tempore aliterque curandum.

Martius.

Martius initio ſerenus, amœnus.

Circa medium ſubitæ nives, pluviæ, nebulæ, diebus ſerenis tepidisque intercurrentibus.

Poſteriora vero tempora rarius pluvioſa, ſæpius ſerena, ſemper autem frigida.

Febres intermittentes nullæ, niſi quædam puræ quartanæ ex priori adhuc anno, quæ a ſolis ſolventibus ſalinis, & gramine, taraxaco, cichoreo, cito emendabantur.

Video jam inde *a Februario* febrim quandam in primo ſtadio *inflammatoriam*, in ſecundo vero *bilioſo-ſaburralem*, quam mihi ita concepi, ſcilicet eſſe febrim vernam depuratoriam. Symptomata erant initio inflammatoria, cum *inflammatione hepatis*, ita ut vix ullam febrim acutam viderimus ſine hepatitide; nonnunquam ſimul aut peripneumonia, aut pleuritis, aut pleuro-

ſopetipneumonia *ſimul* adfuit. Vomitiones inanes, aſſumptorum, etiam æruginoſæ; jactitatio; os amarum aſſiduo; ictericium quid in toto corpore. Jngens cruſta phlogiſtica. Alvus pertinax. Venæ ſectionibus & emollientibus fracta phlogoſis eſt. Tunc alterum ſtadium ſubortum eſt, *bilioſo-ſaburrale*; profuit tunc alvi ductio moderata ope cremoris tartari, item roob ribeſiorum; raro emeticum dari potuit; recrudiut enim inflammatio exinde; potius eccoproticum juvit.

Menſe februario ſtadium inflammatorium erat gravius, diutiusque, minus vero alterum, ſeu ſaburrale: at circa medium martii *ſtadium ſaburrale* eminuit, & ſtadium inflammationis contrahebatur: item circa medium Martii, eminente altero ſtadio, ſubinde jam emeticum dari debebat, cum cremor tartari, cum roob ribeſiorum non ſufficeret.

Exiſtimaveram, ſuborto vere motum quendam inteſtinum oriri, extricarique particulas alienas e ſanguine, extricatas amandari ad hepar, ut, cum in materiem *biliformem* eſſent redactæ, una cum bile ſecernantur. Id quidem multis contigit, ut materies hæc biliformis aut ad primas vias li-

bere

bere deferretur, ibique aut remaneret, & morbum faceret aut mere ſaburralem, aut vero ſalutari, ſeu vomitu ſeu diarrhæa, mox eliminaretur. Non paucis tamen materia hæc biliformis ad hepar amandata ibidem hæſit, & *inflammatoriam* ſtaſin fecit, ſcilicet *hepatitidem.* Quibusdam ſimul pulmo inflammatus eſt.

Prout frequentes erant *obſtructiones acutæ hepatis*, cum aut ſine peripneumonia per hoc tempus, ita frequens pariter fuerat eodem tempore *obſtructio lenta* ſyſtematis hepatici, cum aut ſine hydrothorace. Nunquam tot vidi tam chronicas, quam acutas hepatis ægritudines.

SECTIO II.

HISTORIÆ MORBORUM

ET

SECTIONES CADAVERUM.

Historia Morbi I.

Pleuroperipneumonia cum vitio biliosó & pituitoſo.

Piſtor viginti & aliquot annos natus, 18. April. 1775. ad noſocomium venit ſequentia conqueſtus: ſe a 5 diebus caloribus frigori mixtis, & dolore circa infimas coſtas ſpurias lateris ſiniſtri punctorio vexari, tuſſitare, & difficulter ſpirare. Os erat toto tempore amarum, glutinoſum; dolebant præcordia. Rite examinantibus conſtitit, pleuroperipneumonia vera hominem labora-

re, ſed ſimul præter hanc pergravem thoracis inflammationem, ventriculum & inteſtina multis pituitoſis, & bilioſis ſordibus abundare. Pulſus admodum celer erat mollisque; calores magni carnium. Factis aliquot ſanguinis miſſionibus pulſuum robur augeri cœpit, manente eorundem celeritate. Alvus ſponte moveri cœpit, cum amari ſaporis emendatione. Lingua ſubinde areſcebat, plerumque tenaci glutine obducta erat; nullum inter reſpirandum levamen. Mentis ſemper compos fuit. Morituriens, frigentibus jam membris, ſe lue venerea, mictu præſertim frequenti, difficilique ac ardente laboraſſe; hanc ob cauſam noſocomium quoddam petiiſſe, in quo tres fere menſes exegit; abiiſſe inde ante octo ſeptimanas cum malorum levamine, manſiſſe tamen hucusque inter mingendum ardorem, mictumque non facilem. Plura de morbo ſuo dicere volentem mors occupavit.

SECTIO.

Thorace aperto dexter pulmo ſanus apparuit, tela ſolummodo celluloſa thoraci undequaque adnexus. Pericardium quatuor

cir-

circiter uncias aquæ continebat. Cor præ-grande, cæteroquin ſanum.

Pulmo ſiniſter craſſa admodum firmaque pſeudomembrana diaphragmati, mediaſtino, atque coſtis adhærens; major ejusdem lobus dire inflammatus; minor ſanus.

Diaphragma ea parte, qua cum pulmonibus cohæret, valide inflammatum, ac quaſi ab injecta cera prærubrum.

In abdomine inteſtina tenuia partim inflammata, partim gangrænoſa. Quædam meſenterii glandulæ induratæ. Hepar ſiniſtro ſuo lobo hypochondrium ſiniſtrum occupabat, ventriculo interim ſub coſtis ſpuriis recondito. Omentum verſus ventriculum replicatum; cetera ſana.

Syſtema genitale exemptum ſeduloque examinatum eſt. Sanum cum glande præputium. Urethra ab ejus in glande principio ad tres transverſos digitos ſuperficiaria phlogoſi, & præter morem rubebat. Canaliculi *Morgagniani* deleti omnes, uno alterove ſolum excepto in parte urethræ ſana, & oſſibus pubis propiore; ſanum veru montanum & cum reliquis penis partibus. Veſica urinaria admodum contracta, ut nucem juglandem haud caperet; parietibus

craſſis, & ſuperficie interna lacertoſa, lacertis cutaneis, rubentibus, quaſi ab inflammatione. Cætera ſana:

Nota: 1) Inflammatio diaphragmatis absque delirio. 2) Gonorrhæam ſe habuiſſe, contra quam terebintinam ſociorum ſuorum ſuaſu aſſumpſerit, narrabat.

HISTORIA MORBI II.

Hernia ſcrotalis incarcerata.

Auriga 52 annorum, robuſti corporis, à decem fere annis poſtquam ex equo eſſet delapſus, herniam ſcrotalem habet. Frequenter per hosce annos viſcerum prolapſum ipſemet facili manu repoſuit. Per ſex annos faſcia herniam retinente uſus non eſt, quam tamen deinde ob majores ex frequentiori viſcerum prolapſu moleſtias adhibuit. 24ma Octobris 1776 mane viſcera denuo procidebant, quæ iterum ipſemet repoſuit; circa ſextam veſpertinam iterum prolabuntur, non æque uti prius reponenda. Accedit dolor, tumoris durities. Ea veſpera, facta jam ſtrangulatione, alvum ſemel poſuit abdomen necdum dolet, dolet vero extrema tumoris hernioſi pars, ab annulo averſa.

Ma-

Mane dolor, levis tamen in abdomine perſentitur. Eo die, 25ma Octobris a meridie ad nos deportatur.

Pulſus fortis, plenus, durus. Venæ ſectio unciarum XV. Cataplasma, enemataque omni bihorio renovata, & oleum amygdalarum dulcium cum ſyrupo de althæa āā unc. iij β. omni bihorio unciam 1 β ſumat. A cibo & potu penitus abſtineat; utatur eorum loco tenuiſſimis juſculis.

Noctu dolor in hypogaſtrio per intervalla, levis tamen; nullus vomitus. Stercora aliquoties poſt enema rejecit.

Die 26ma denuo ſera veſpera repetita venæ ſectio eſt unciarum X. Noctu bis vomuit; dolor in hypogaſtrio; pulſus fortis, plenus, intermittens, remittens; accedit ſitis; tumor herniofus ut antea. Fit unanimi conſenſu operatio (hora a prolapſu trigeſima nona labebatur.)

Perciſſo ſacco tenui, portio omenti quatuor transverſos digitos æquans in conſpectum prodiit, cui magna ilei pars, profunda & nigricante rubedine ex toto tincta ſuppoſita fuit. Diſſecto annulo elapſa viſcera arctiſſime, atque ita ſtrangulante, ut

multo conamine vix adplicari *occultatus*, ut vocant, culter potuerit. Facta inteſtini repoſitio eſt. Omentum hinc inde ſacco hernioſo, & ipſi annulo arcte cohæſit; nexibus cultro ſolutis omentum ſanum cæteroquin, niſi pauca vaſa varicoſa, portionesque hinc inde prope nexus cum ſacco induratas excipiatis, quas impune reſerare licuit, reponebatur.

Facta deligatione cum magnopere levatum ſe æger, doloremque in hypogaſtrio minui diceret, alvum ſponte novies intra exiguum tempus poſuit, pultaceam, æquabilem, ex flavo albeſcentem. Pulſus perſtitere inæquales, intermittentes, remittentes, robore & duritie inſignes. Adplicatis omnibus, quæ præſens rerum conditio poſcere videbatur, eum diem commode, ſed noctem proximam majori cum hypogaſtrii dolore transegit.

Die altero tendi abdomen cœpit, dolor in hypogaſtrio major, quam ſtatim poſt operationem; attamen toto morbi tempore talis, ut eundem facile perferret. Circa meridiem reſpiratio anxia, & frequenti ſiccaque tuſſicula interpolata acceſſit, jamque dolores admodum tolerabiles, ſed magnas

an-

anxietates pati æger aſſerebat. A meridie naſus, lingua, artuum extrema frigere, abdomen inflari magis, facies & oculi inſolitum quid, luctuoſum, attonitumque referre. Pulſuum celeritas major, majorve inæqualitas, minori cum duritie. Mens exacte ſemper conſtans, & omnium, quorum oportebat, adcurate memor. Pulſus noctu fieri humiles, collapſi, creberrimi. Verſus auroram per aliquot minuta delirat, convellitur, moritur.

Nota: 1) Nigricans inteſtinum ileum, an gangrænæ ſignum? non: frigida & nigricantia fuerunt feliciter repoſita.

2) Fæces in inteſtino, craſſi parietes prohibuerunt purgantia, enemata varia, glaciem, item inefficacia cataplasmata. Omnia hæc, aut pleraque inutilia ſunt in prolapſu omenti.

3) Alvus poſt incarcerationem ſæpe pergit; id non decipiat. Sæpe paries inteſtinorum ſolum incarceratur, cum vel ſine alvo.

4) Purgantium uſus in hernia, item mercurii.

5) An annuli vel conſtrictio vel inflammatio cauſa ſtrangulationis? neutiquam.

An ſpasmus muſculorum abdominalium, aſcendentis præcipue? neutiquam.

6) Scarificatio annuli non ita placet. Placet magis methodus *ſchmukeriana* curandi radicaliter hernias ſcrotales.

7) Uſum aquæ frigidæ *Schmuckerus* efficaciſſimum invenit in prolapſu inteſtinorum.

8) Saccus tenuis fuit.

9) *Schmucker* putat cauſam incarcerationis eſſe in aſcendente muſculo, qui tendine ſuo annulum tegit, nimiumque contrahitur. At in noſtro homine abdomen molle fuit; nulla ſpaſtica contractio muſculorum abdominalium.

10) *Schmucker* invenit in ileo cum flatu etiam fæces induratas.

11) Præparandus annulus, & ſectio facienda *ultra* annulum. Situs arteriæ epigaſtricæ varius. Uſus dilatatorii.

12) Arteriæ epigaſtricæ ramificatio videnda in *Hallero* Tom. VII. Part. II. pag. 14. Faciendæ eſſent plures ejus arteriæ injectiones; luſus, ramificationes expiſcandus delineandus, ejusque habitus ad annulum.

Historia Morbi III.

Phthiſis.

Scriniarius 30 annorum, patre quoque phthiſico natus, perfecte ſanus vixerat, usque dum ante quatuor annos in Italia in febrem acutam incidit, ex qua fere absque ullo remediorum uſu brevi convaluit. Ab eo tempore ſingulis annis ſcopo prophylactico venam ſibi curabat ſecari.

Ante quinque circiter menſes, cum æſtuante corpore cereviſiam affatim hauſiſſet inhorruit, caluitque, cum dedolatione, amarore oris, & inappetentia. Biduo elapſo, cum e lecto ad labores ſurgeret, acceſſit rheumaticus dolor artuum ſuperiorum, pectoris oppreſſio, ſpirandi difficultas ad leves etiam motus. Noctu horum ſymptomatum exacerbatio.

A mixtura ſalina alvus aliquoties movebatur; rediit appetitus, artuumque dolor rheumaticus evanuit. At perſtitit pectoris oppreſſio; acceſſit oedema artuum inferiorum. Remediorum diureticorum uſu, ſuadente aliquo medico, intra 4 hebdomadas tumor omnis diſparuit. Augebatur interim pectoris oppreſſio, & reſpirationis

difficultas. Calores cum frigore alternantes, a paſtu potiſſimum; ſputa alba, tenacia, decubitus tamen in utrumque latus facilis, ſudores nocturni, alvus diarrhæica.

His omnibus quotidie pejoribus die 18 Nov. 1776 noſocomium adiit. A triduo lateris ſiniſtri dolor punctorius, tuſſi & inſpiratione auctus; pulſus celer, fortis, plenus; genarum rubor. Remediorum emollientium uſu dolor punctorius brevi diſparuit. At ſenſim deglutitio difficilis, ſumma corporis emaciatio, capillorum defluvium.

Etſi alvus ſubinde fluere inciperet, tamen brevi iterum ſponte ſubſtitit. Sudores non omni nocte, & univerſim rariores, quam in phthiſicis alias ſolent. Cum binis vicibus eo tempore, quod apud nos vixit, febricitaret validius, pulſusque arteriarum duri magnopere eſſent, ſanguis ad uncias quinque cum levamine mittebatur; is cruſtam phlogiſticam, craſſam, tenacemque exhibuit.

Die 7ma Septembris moritur.

SECTIO.

Muſculi capitis, laryngis, œſophagi tenuiſſimi.

Sul-

Pulmo dexter lato atque membranoſo vinculo ad primam, ſecundam tertiamque coſtam religatus; eo nexu ſoluto orificium vomicæ patuit, cujus margines admodum inflammati atque duri erant. Idem pulmo ſimili vinculo diaphragmati adhærebat. In dextro thoracis cavo magna puris copia. Siniſter pulmo eodem modo, minus arcte tamen, pleuræ adhærebat.

In ſuperiori atque anteriori lobo dextri pulmonis ſaccus pure vacuus reperiebatur, qui cum pluribus aliis in vicinia poſitis pureque ſcatentibus ſacculis communicationem habebat. Reliqua pulmonis ſubſtantia dire inflammata. Pericardium ſex circiter uncias ſeri tenuis continebat. Pulmo ſiniſter hinc inde inflammatus, & pluribus in locis tuberculis obſitus.

Historia Morbi IV.

Tabes ex ulcere pulmonum & renum.

Textor 24 annorum ſexies per vitam ſcabiem paſſus eſt, quam litu mercurii ſanabat; ultimam habuit ante ſex annos. Ante tres annos acute laborabat. Ante duos annos per ſeptem ſeptimanas febre tertiana con-

flicta-

fliЦtabatur, aut ſponte ceſſante, aut proprio marte profligata. Ultimis febris paroxyſmis utrinque ad renes dolor pungens, continuus.

Facilis in dorſum decubitus; difficilis in alterutrum latus, ob dolorem punctorium circa renes, & ſpirandi anguſtiam. Ita duos fere menſes, cætera ſanus exegit; acceſſit dein lotii difficultas, ſtillicidium. Ardor inter mingendum prope radicem penis, teneſmus ad matulam, & eo die iſchuria. Die altero lochii libertas plena, niſi quod finito mictu levis in perinæo ardor perſentiretur. Superveniente hoc urinarum incommodo dolor in regione renum evanuit, nec unquam poſtea rediit.

Hac ratione per anni quadrantem vixit; at denuo urina & frequentius parciusque, ac ſtrangurioſa mitti cœpit. Ex vetulæ conſilio raphanum vulgarem non decorticatum, ac flores ſulphuris aliquoties perdiem devoravit. Poſt biduum incommodis urinæ multum auctis, valido circa perinæum dolore oborto, ſanguinem meracum, dein & urinas ſanguine tinctas per aliquot dies minxit. Mictus frequens, parcus, dolens, cum ardore perſtitit ab initio

æſta-

æſtatis ad medium decembrem usque, quo tempore noſocomium Fratrum Miſericordiæ acceſſit, ubi explorata inſtrumento veſicâ nullus, ut ſuſpicabantur, calculus deprehendebatur; attamen circa veru montanum difficilius ſolito adigebatur ulterius. Eo noſocomio relicto, ſuaſu neſcio cujus, decocto dauci, cum aliquo in mingendo levamine utebatur. Profuere etiam pulveres ex cochleis calcinatis parati, at ventriculum inde offenſum, & appetitum dejectum querebatur.

Die 27ma Martii 1777. ad nos venit, emaciatus multum, & ægra trahens membra. Veſperi febricula aliquoties obſervabatur. Alvus quinquies, & pluries nonnunquam intra nychtemerum, a tribus jam ſeptimanis, fluxit, idque quotidie ferme. Sudores noctu nulli, nullus ullibi, niſi in perinæo medio inter mingendum dolor. De nulla ſpirandi difficultate, nec ullo amplius circa lumbos incommodo, quamdiu apud nos fuerat, querebatur. Urinam miſit frequenter parceque, in cujus fundo ſemel pus aut puriformem materiam conſpexiſſe rebamur; toto autem reliquo tem. tempore, jam ab initio Januarii, ingens muci viſcidi ductilisque quantitas ſingulis

urinis inerat. Non caluit præter naturam niſi rarius, & ſub exacerbatione pomeridiana, eadem ipſa non magna, & rariori.

Die 20. Aprilis 1777 repente ejulat, lotiumque ſibi ſupprimi cum valida perinæi dolore queritur; idem his ultimis diebus ſibi accidiſſe, ſed minori cum moleſtia, mingendique facultatem ſua ſponte, nec poſt longum tempus rediiſſe aſſerens.

Inmiſſo cathetere lotium educebatur, quod poſtmodum ſponte fluxit. Pulſus interim fieri debiles exiguique cœperunt, non celeres, & absque caloribus.

Die 23 Aprilis pulſibus exiliſſimis, tardiusque, ac mentis compos vivere deſiit.

Sed nunc quæ paulo ante mortem, cum avidiſſime expeteret, ut, quæ reticuiſſet hucusque, mihi committeret, narravit, exponam: ſe videlicet a quadriennio ad id usque tempus, quo urinarum moleſtiis gravius conflictari cœpiſſet, quotidie ſexies octiesve fricante manu ſibi ſemen prolicuiſſe, id operis a perverſo commilitone edoctum. Poſt ſemi alterum annum ita exactum ſibi maciem induci, & virium jacturam fieri, ac circa lumbos dedolationem continuam ſen-

ſenſiſſe, creſcentem in dies. Eo vero tempore ſæpe irritis conatibus pollutionem tentaſſe, nihilque ſeminalis laticis profluxiſſe. Sexies per vitam rem cum fœmina habuiſſe, & ante quatuor annos ultima vice, nihil tamen inde incommodi ſibi obveniſſe. Hæc cum diceret, ſortemque deploraret ſuam, quod florem juventutis perverſæ pernicioſæque veneri immolaſſet, veniam ſupremum Numen precatus obiit.

SECTIO.

Altero die cadaver emaciatiſſimum ſecuimus. Pulmo dexter pleuræ & diaphragmati mediante membrana fictitia albaque, qualis ex tranſſudante phlogiſtico ſanguinis ſero coagmentari ſolet, firmiſſime nectebatur. Subſtantiam ejus pulmonis aliquot quaſi chordæ tendineæ albæque in directum extenſæ, longæ, non craſſæ, veluti totidem lineæ rectæ, varia directione percurrebant.

Siniſter pulmo tuberculis multis exiguis, lenticularibus, aut ciceris magnitudine, albis, duris partim, partim ſebaceis, & quibusdam etiam pauxillum puris fundentibus ſcabebat. Suprema ejusdem pulmonis pars abſceſſum nucem juglandem capien-

pientem continuit, vacuum quidem, cum ſecaretur, attamen lateribus purulenta membrana obductis præditum, ut pus paulo ante in bronchia delatum crederemus. Durior, gravior hic pulmo, præcipue ſuprema ejus portio ,fuit, duriora tuberculorum interſtitia, ut portiones abſciſſæ aut fundum peterent, aut intra aquam vix natarent. Atque univerſim is habitus ſiniſtri pulmonis fuit, ut interjacentis inter tubercula ſubſtantiæ, præcipue qua parte abſceſſum vidimus, inflammationem adeſſe nemo dubitaret.

Recluſo abdomine omentum ita ſero flavo tumens, uti tela celluloſa in hydrope anaſarca ſolet ; meſenterium æque, uti omentum intercute laborans.

Veſica urinaria quatuor transverſos digitos ſupra oſſa pubis protuberans, lotio diſtendebatur. Ren ſiniſter dextro major diſſectus, multos abſceſſus, nucem moſchatum plerosque, unum qui juglandem caperet, exhibuit, fictitia membrana circum circa conveſtitos, & pure bono repletos. Ureter illius renis multo brevior, & digitum craſſus pus continuit. Veſica urinaria ſolito craſſiores parietes, majoresque intus rugas habuit,

habuit, muco multo oblinitas, ceterum ſana. Veſiculæ ſeminales bonæ, ſemine ad adſpectum bono ſatis plenæ. Glandulæ proſtatæ inſidebat tuberculum nigricans, magnitudine veru montanum ſuperans, & grumo ſanguineo non abſimile. Varicem eſſe rebar, ſed incuria ſecantis chirurgi factum eſt, quo minus potuerim, cujus indolis id tuberculum eſſet, examinare. Veru montanum exiguum; inter illud & proſtatam, glandem verſus, in latere dextro urethræ, ulcus craſſiorem calamum ſcriptorium facile capiens, margine in urethram aſſurgente, calloſoque, ut ideo anguſtiorem canalem ibi fecerit, deprehendebatur, apertum & ſordidum. Canaliculi Morgagniani clauſi omnes, protuberantes in urethram, quaſi totidem ſemina milii referentes, ad attactum duri, ut inde ſcabram contrectantes urethram experirentur. Præputium rubebat præter morem, uti etiam orificium urethræ. Nulla ceteroquin luis venereæ ullibi ſigna.

HISTORIA MORBI V.

Phthiſis.

Auriga 33 annorum a longo jam tempore ſanus, ante duos ciriciter annos admodum pertinaci iſchiade femur & crus dextrum decurrente laborabat. Variis remediis per dimidium ferme annum fruſtra tentatis, pillulæ a chirurgo præſcribebantur, quibus aſſumptis malum ſopitum eſt. Aderat autem cum iſchiade tuſſicula quædam, absque manifeſta tamen pectoris oppreſſione. Rheumaticis doloribus profligatis, tuſſis plurimum augebatur, ſputis ſimul copioſis, purulentisque rejectis. De die in diem malum increvit, atque æger plurimum emaciebatur. Medicamentis tunc utebatur nullis.

Die 21ma Maii anni 1777 in noſocomium eſt ſuſceptus. Phthiſis erat conſummata cum crurum, femorumque, ſiniſtri præcipue tumore œdematoſo. Decubitus in utrumque latus, ſupra mammam ſiniſtram ſubinde dolor levis punctorius. Appetitus ſemper vigens; ſitis, febris magna, pulſu forti, pleno, undoſo. Reſpiratio difficilis; tuſſis maxime nocturna, & verſus auroram. Sudores rari, alvus non diarrhæica. Tandem

dem perſiſtente pulſu vegeto, non accelerata, calores evanuerunt; ſputa pauciora facta, & difficilior breviorque ſpiratio, ac demum die 31 Maii mors.

SECTIO.

Die ſequenti ſectum cadaver eſt. Pulmo ſiniſter validis nexibus ad pleuram religabatur; uterque vero innnmeris abſceſſibus ſcatebat magnitudinis diverſæ. Suprema utriusque pulmonis portio ſaccum continuit clauſum, collapſum, vacuumque, & non niſi cum ramis bronchiorum quaſi abſciſſis per patula orificia communicantem. Interior utriusque hujus abſceſſus, ſive ſacci facies inæqualis fuit, & exeſa, vaſis arterioſis calami ſcriptorii magnitudinem habentibus, ac ramoſis partim juxta vomicæ parietes reptantibus, partim vero per ejusdem medium protenſis, & nullibi nexis, niſi quo ſaccum ſubibant, aut ex eodem egrediebantur. Vaſa hæc arterioſa multo craſſioribus compacta membranis erant, ac alias in ſtatu naturali ſolent, quaſi contra ambientem circum circa putredinem, quæ reliquam pulmonis ſubſtantiam, ac ramu-

os bronchiorum abſumpſerat, peculiari naturæ conſervatricis beneficio præmunirentur. Injectio cerea in ramos bronchiorum facta per magna lumina ſaccum haud difficulter replevit. Eandem ceream materiem vaſa arterioſa per cavum vomicæ reptantia non admiſerunt, etſi illa paulo validius intra arteriam pulmonalem urgeretur. Injecta in venas materies ſaccos æque ſubivit, ac illa, quæ bronchiis immittebatur, ſed orificiis minutioribus multa.

Reliqui abſceſſus fabam, cicerem, lenticulam cepiſſent, pure albido pleni, quod parietes abſceſſulorum fictitia quadam albidaque membrana circum veſtiverat. Innumeris granulis albis miliformibus, ſebaceis, cartilagineis, vel & mollibus & interna pulmonum ſubſtantia, & eorundem ſuperficies conſpergebatur. Granula hæc perexigui abſceſſus videbantur, quorum pus liquidioribus abſorptis, variam duritiem ac conſiſtentiam temporis tractu inducebat. Ad punctula hæc granuloſa nulla, ſive per venas, ſive per arterias, ſive ramos bronchiorum faceres, injectio penetravit. Pulmo totus aquæ injectus eidem vix ſupernatabat.

In

In reſerato abdomine aliquid ſeri flavi reperiebatur. Hepar paulo flaccidius, flavicans. Omentum putridum. Inteſtina plumbea.

Nota: 1) Cauſſa hujus phthiſeos;

2) Effectus: prava metaſtaſis materiæ intra ſubſtantiam ipſius pulmonis, & non intra bronchia, unde potuiſſet expectorari.

3) Quæ medela? ſolvere, urinas ciere blande diluentibus, ſero lactis, decoctis emolliendo diureſin moventibus. Cortex non convenit, nec lac ſolum, niſi cum ſelteranis, nec equitatio. Succi herbarum recentium, & horæorum fructuum proſunt.

4) Origo granulorum, & ſedes: prava criſis materiæ phlogiſticæ.

5) Granulorum horum frequentia ſtupenda, cum vix unquam ſit videre his immunem pulmonem.

6) Quare nulla erat hæmorrhagia?

7) Mors ſenſibus integris.

8) Appetitus ſemper vigens; uti & pulſus fortis, & plenus.

HISTORIA MORBI VI.

Febris bilioſa cum inflammatione thoracis complicata.

Operarius 60 annorum, olim miles, bis in vita ex morbo acuto decubuit, largis & repetitis ſemper venæ ſectionibus ſanatus. Ante quatuor dies multa carne ſuilla comeſta, paulo poſt inhorruit. Sequentibus diebus appetitus proſtratus, dolor lateris dextri, tuſſi & inſpiratione auctus.

Die 7ma Maji 1777 noſocomium adiit. Cephalalgia; os amarum, lingua ſordida. Idem lateris dolor punctorius. Dolor ad ſcrobiculum cordis. Sputa tenacia; alvus diarrhaeica. Pulſus plenus, fortis, durus.

Bis ſecta vena; ſanguis cruſtam contractam, fimbriatam exhibuit; ſerum ex flavo vireſcens. Dolor punctorius evanuit. Tuſſis tamen per intervalla acceſſit validiſſima & cum metu ſuffocationis. Reſpiratio ſibiloſa, & extra tuſſis tempora, quoad ſenſum ægri naturali non multum difficilior. Decubitus in utrumque latus facilis. Pulſus toto tempore plenus, fortis & durus. Sputa partim mucoſa, partim cocta. Calor ulti-

ultimis morbi diebus non multum auctus, aut naturalis. Diarrhæa per vices redeunte 21 Maji ſera veſpera mente integra moritur.

SECTIO.

Thorax totus oſſeus. Cartilagineæ ſcilicet coſtarum omnium portiones oſſeam duritiem exhibuerunt. Pulmonis dextri inferior portio inflammata, & mediante fictitia membrana ex coagulato phlogiſtico ſero orta, cum diaphragmate & pleura nectebatur.

Subjecta huic membranæ pleura coloris plumbei fuit, & gangrænoſa. Superior ejusdem pulmonis portio, uti & totus ſiniſter pulmo ſaniſſimus, variegata ſuperficie, maculisque nigris diſtinctus. In utroque thoracis cavo pauca ſeri flavicantis cochlearia fuere.

In abdomine hepar flaveſcens, durum, & ſub cultro ſtridens. Hepatis concava facies liveſcens fuit, attamen non gangrænoſa. Coſta ultima vera, & prima ſpuria ſulcos in hepate fecerunt ſat profundos, evidenti ſigno, quod hepar ſæpius ad co-

ſtas urgeretur. Colon transverſum aſcendens debite amplum fuit, ſub quo illi ampliſſimus ventriculus incubuit, quaſi in funiculum contractum apparuit, & ita contractum manſit, uti etiam fuit rectum.

Credo hominem amplo ventriculo præditum, ſe largius cibo & potu ingurgitaſſe, & ventriculum diſtentum compreſſiſſe colon, & hepar urſiſſe dextrorſum ad coſtas.

Veſicula fellea parum bilis amurcoſæ continuit. Omentum & inteſtina flava, livida, fuſca, & graviſſime fœtentia. Lien minus erat friabilis, ac alias ſolet. Dentes omnes nigreſcentes, ſcabri, absque cruſta vitrea.

Corpus toroſum, robuſtum; abdominis muſculos & meſenterium multum pinguedinis obtegebat.

Nota 1) Fuit morbus complicatus, *gaſtricus*, & *inflammatorius* pectoris.

2) Vomitum gravis inflammatio contraindicabat.

3) Alvus pronior, quin diarrhæica vices emeſeos non ſubivit.

4) Diarrheæ maligne febrientium.

5) Mortuus potius eſt ex febre gaſtrica quam ex pleuritide. Nam pulmonis non mag-

magna portio, & non diriſſime erat inflammata. Gangræna pleuræ ab univerſali humorum gangræneſcentia oriebatur. Fictitia membrana non occidit. Prava metaſtaſis ſeri phlogiſtici fit ſubinde in cavum thoracis, & non in cavum bronchiorum. Id vidimus ſæpe.

6) Aſthma ex thorace oſſificato.

7) Quæ cauſa tuſſis hujus ſuffocativa? ordinariæ tuſſis cauſæ in thorace oſſificato facile poterant afferre metum ſuffocationis.

Historia Morbi VII.

Inflammatio viſcerum abdominalium absque conſuetis ſignis.

Faber ferrarius annorum 50, die 1ma Decembris 1776 ad noſocomium venit, claudicans ex alterutro crure ob dolorem inde ab acetabulo illius lateris ad malleolum usque diffuſum, more rheumatico. Ab octo circiter diebus veſperi ſolito plus caluiſſe ajebat, minus paulo appetiiſſe, ſolitis tamen laboribus ſe fuiſſe defunctum. Adplicato ad caput fibulæ veſicante, dolor is brevi diſparuit, at aſpectu inſolitum quid inde ab initio præſeferebat; ſermo audacior, citatus,

attamen non abnormis, & interrogatis exacte conveniens. Pulſus fortis, plenus, durus, naturali vix celerior, niſi raro, idque a meridie. Calor naturalis, niſi binis aut ternis conſequenter diebus, ubi pulſum quoque citatiorem inveni. Os & lingua ſanorum, ſed ultimis binis diebus areſcens, ſitis nulla prorſus, nullus ullibi poſt adplicatum veſicans dolor, leve incommodum per intervalla circa præcordia ſe ſentire, interrogatus reſpondebat, & id, quaſi a flatibus eſſet, explicuit. Ceterum a primo, usque ad ultimum vitæ tempus noctu inquietior fuit, ſurrexit quaſi abituriens, & aliena multa factitabat, ut vinculis retineri per noctem debuerit. Sed interrogatus aptiſſime ſemper ac ad rem reſpondit, etſi abſona multa perageret. Interdiu quietus fuit, atque eorum in modum omnia fecit, quibus integra penitus mens eſſe ſolet.

Die 7ma Decembris veſperi inſultu epileptico duarum fere horarum corripitur, dein oculis conniventibus, averſaque eorum alba portione, ſtertoroſus per noctem jacuit, & mane diei ſubſequentis moritur.

SEC-

SECTIO.

Reſecto cranio vaſa meningum majora atro ſanguine turgida, minora vero læte rubente repleta, inflammataque. Cerebri ſubſtantia ipſa ſolidior, duriorque quam alias, atque eum ferme in morem, quo, qui ſecuerant, in maniacis frequenter ſe vidiſſe aſſerebant. Ventriculus uterque amplus, amplior multo ſiniſter, atque unciis quatuor ſeri ita turgidus, ut id, facta via, vi proſiliret; ſeptum lucidum perruptum; multo minorem ſeri copiam dexter continuit. Choroides plexus glandulas ciceris magnitudine duas tresve exhibuere, inflammatique ipſimet.

Pulmones innumeris granulis albis, ac mollioris cartilaginis conſiſtentiam referentibus conſperſi, per totam ſubſtantiam diſſeminati; pulmo dexter tamen magis, atque inſuper ſubinflammatus. Lapillum lentis magnitudine extimæ pulmonis ſiniſtri ſuperficiei inhærentem inveni.

Abdomine reſerato meſenterium vaſa majora quam alias, copioſoraque & atro ſanguine repleta monſtrabat. Reliquæ ejusdem portiones maximam partem inflammatæ

tæ fuere, inflammata pluribus in locis inteſtina, omentum inflammatiſſimum, circa colon transverſum, tympaniticumque replicatum. Major præter naturam coli transverſi coarctio, quæ minorem digitum vix admitteret, ibi fuerat, ubi id flexum lienarem efformare incipit.

HISTORIA MORBI VIII.

Inflammatio pectoris.

Auriga 58 annorum ab aliquot jam annis ſemel quovis anno febre intermittente laborabat. Die 17ma Martii anni 1777 veſperi friguit, præter morem. Ea veſpera ſumpſit pulverem antiſpasmodicum. Noctu alvus aliquoties mota, uti & die ſequenti. Die 19ma Martii medicamentum, quod alvum ſiſteret, a chirurgo petiit; alvus ergo compreſſa illico eſt. Verum mox die 20 oppreſſio pectoris valida, uti & ventriculi & abdominis orta eſt. Amaror oris inde a principio morbi, vomituritio; non vomuit; decubuit, friguit, ſitivit. Die 21ma Martii facta venæ ſectio eſt a meridie; ſanguis cum vireſcente cruſta, craſſa. At major a venæ ſectione oppreſſio facta eſt; hinc veſpe-

veſpera ſera denuo venæ ſectio. At nox moleſta, difficillima reſpiratio, & erecta cervice peragenda, oppreſſio pectoris, ventriculi & abdominis graviſſima.

Die 22ma veſperi ad nos adfertur. Caput liberum; mentis præſentia; apta reſponſio, pectus ſumme oppreſſum, oppreſſione a jugulo ad pubem usque protenſa; reſpiratio moleſtiſſima, quam cubans humili capite nunc peragit. Inſpiratio ſingultuoſa; tuſſis nulla; lingua frigida, ſicceſcens, glutinoſa. Pulſus exiles, ſub digito evaneſcentes, naturalibus non celeriores. Extrema frigida. Mixtura camphorata, & veſicantia. Mane alterius diei moritur.

SECTIO.

Aperto thorace pulmo dexter pleuræ, dorſum verſus, multis in locis firmis nexibus cohaeſit. Seri turbidi, leviterque vireſcentis unciæ decem ſyphone ex cavo ejusdem lateris eductæ. Infimam pulmonis ibidem ſuperficiem pſeudomembrana diaphragmati ſubjecto junxit, ab utroque viſcere facile deglubenda. Poſterior inferiorque ejus pulmonis portio non graviſſime inflam-

mata,

mata. Pleura maculis rubris copioſis, vaſisque inflammatorio infarctu rubentibus, tam in hoc, quam in altero thoracis cavo luculenter diſtincta. Pulmonis ſiniſtri major quantitas inflammata, ita tamen, ut non omnino hepaticam duritiem ſecanti cultro opponeret, uti inflammati alias pulmones ſolent. Aqua ſubrubra, qualis carnium lotura ſolet, ab admixto fors inter ſecandum ſanguine, unciarum fere ſex, in eodem ſiniſtri thoracis cavo reperta. Idem pulmo partim membranis digito ſolvendis, partim vero factitio ſeri denſati coalitu, pleuræ concrevit. Levius ex pſeudomembrana vinculum inter ſimam pulmonis ſuperficiem, & diaphragma.

Diaphragma ferme totum, & partis quoque tendineæ non exigua portio, dire inflammata.

Pericardium materie albida, tenui, pus referente, uncias ſedecim facile æquante diſtentum; hinc inde leviter inflammatum, ſed qua parte cum adjacente ſiniſtro pulmone æque inflammato arctiſſime concreverat, non exiguo ambitu inflammatiſſimum.

Cor phlogiſtica membrana contectum, maculis rubris, quaſi a ſuperficiaria inflammatione diſtinctum, lævo præprimis ex latere

tere apparuit; dextro autem multa pinguedine veſtitum; mucro ejusdem corrugatus.

Pulmones digitis compreſſi puriformem materiam illi perſimilem, quæ pericardium repleverat, per abſciſſa bronchia fuderant. Nullus uſlibi vel intra pericardium vel in pulmonibus exulceratis abſceſſus, cui puriformem materiam deberes.

Graviſſimus recluſo abdomine fœtor, etſi & loco & tempeſtate frigida, nec multis a morte horis cadaver ſecaretur. Omenti hinc inde cum inteſtinis connexi infirma portio inflammata. Inteſtina tenuia ferme ex toto plumbea, reliquis in locis inflammata. Ileum præ cæteris inflammatum, cujus portio duos propemodum pedes longum per dilatatum abdominis annulum in ſcrotum ea ratione deſcenderat, ut arteria epigaſtrica, more haud conſueto, prolapſo inteſtino & oſſibus pubis interjaceret; nulla incanceratio. Meſenterium multis in locis inflammatum, idque maxime, qua parte ileum cæco jungitur. Colon deſcendens quaſi in funiculum contractum. Inteſtinum rectum ſiniſtrum, oſſi ileo & iſchio ejusdem lateris incumbens, ad anum protendebatur. Hepatis gibba pars diaphragmati contigua,

leviter

leviter inflammata videbatur ; fuſca ſimæ partis crepidine quadam, quaſi nigreſcente fimbria circumducta, ceterum ſana ejus ſubſtantia. Veſicula fellea bile amurcoſa, tenaciſſimaque, & digitis in duodenum vix ac ne vix quidem exprimenda turgebat. Peritonæum lividum.

Nota: 1) Inflammatio pleuræ absque dolore pleuritico.

2) An pleura vaſis gaudet, an ea ipſam ſuperreptant? parum intereſt.

3) Pulmo non diriſſime inflammatus, ſed potius *ſemiinflammatus* phlogoſeos ſolutionem oſtendit, criſinque aliqua ex parte jam factam, ſed pravam in cava thoracis & pericardium metaſtaſin demonſtrat.

4) En diram diaphragmatis inflammationem, ſive paraphrenitidem, ſi mavis, absque delirio.

5) Herniotomia & dilatatio difficilis hic fuiſſet.

6) Nulla enteritidis ſigna, nec tumor, nec dolor, ſed ſola oppreſſio aderat.

7) Unde diarrhæa orta?

8) Quare pejus a venæ ſectione habuit?

Hi-

Historia Morbi IX.

Hydrops.

Ancilla 48 annorum nata, ab octodecim annis viliora culinæ officia peregit; ab annis fere duobus curam puerorum ipſi concreditorum geſſit. Semper antea ſana, ſi morbos pueriles conſuetos & febrim tertianam ante decem annos exantlatam exceperis. Circa medium Decembrem anni 1776 vehementes dolores in toto hypogaſtrio ſentire incepit, per intervalla exacerbatos. Poſt novem, ex quo dolores acceſſerant, dies, menſtrua copioſiora ſolito, bonique coloris prodiere, una circiter hebdomade anticipantia. Sub eorum fluxu mitior hypogaſtrii dolor; poſtea denuo vehementior. Exactis octo diebus fluxus menſtruus iterum revertebatur, copioſus æque, ac colore laudabili. Dolores ſub eo mitiores, quales etiam poſteá manſerunt. At ceſſantibus menſtruis hypogaſtrium in tumorem elevari totum pedetentim, & poſt initium ſequentis Januarii tumere etiam epigaſtrium cœpit. Cardialgia per intervalla, maxime poſt paſtum; ructus acidi. Vomitus mane fre-

quens, pituitoſus, catamenia poſtmodum ſtata periodo redierunt.

23ma Martii anni 1777 in noſocomium ſuſcepta. Preſſio & anxietas præcordiorum, ad pauca etiam ingeſta. Decubitus in dorſum facilior, in latus vero utrumque ob dolorem lumborum, quem ita cubans experiri ſolet, difficilis; ſomnii exigui inſomniis turbati. Vertigo frequens; non appetit, non ſitit. Pulſus naturali paulo celerior, humilis, & febrilis quidem, utut non magnus; ſubinde calor. Apyretos plerumque. Urina parca valde a paucis diebus, brevi turbida, & cum hypoſtaſi lateritia; primis morbi temporibus obſcurior, ſaturatioris cereviſiæ inſtar, & ferme fuſca minxit. Hucusque ſolventibus variis, item oxymelle colchico uſa eſt. Hodie 25ma addidi ſquillam.

Cum ſquilla, uti & reliqua omnia diuretica urinam potius ſupprimerent, remedia vero ſalina alvum cum aliquo levamine uti & urinam moverent, attamen poſt paucos dies urinæ denuo ſubſiſterent, & alvus mota nil levaminis afferret; cum præterea aquarum moles increſceret, & reſpiratio difficillima fieret, & non niſi erecto corpore

pore peragi jam poſſet, curavi, in corpore licet cachectico, urgente vitali indicatione, paracenteſin inſtitui, die 5ta Maji 1777. Aquæ modice flaveſcentes eductæ ſunt ad libras XXVIII. Levamen magnum. Data ſunt ex aqua petroſel tincturæ rhei aquos. aa unc. iij. terræ fol. tartar. dr. ij.

Dolor lateris punctorius ortus, ſputaque tenacia, cruenta, obſolete rubentia. Adplicato ad latus veſicante ſputa tenacia, copioſius & liberius prodivere. Punctorius dolor evanuit; reſtitit ſolus quaſi ventriculi exulcerati ſenſus.

Hinc mixturam propinavi ex aqua petroſel, unc. IV. oxymel ſquill. unc. ij. Elixir. ſtomach. temp. unc. ß. Pectus expeditum; alvus facilis, quotidiana; urinæ copioſæ, & ferme naturales. Abdominis, quod denuo tumere cœpit, minor tumor, uti & cruris dextri.

Die 23. Junii tertium hodie paroxysmum febris tertianæ paſſa eſt.

Die 24ma ſumpſit drachmam j ipecacuanhæ. Vomuit cum levamine pituitoſa.

Die 25. rediit multo levior paroxysmus.

Die 26 apyretos. Emeticum ex drachma j ipecacuanh. absque tartaro emetico,

ob pondus ventriculi, linguam pituitoſo-biliosſam. Vomuit cum levamine multo amurcoſa, flava, craſſa. Datus cortex cum ſale polychreſto. Poſthac nullus paroxysmus. Ventriculus bonus; lingua purior.

Initio Auguſti uti cœpit pulvere fuliginis, rhei, & ſquillæ.

13. Auguſti ob ingentem tumorem abdominis, & crurum femorumque dolorem & ardorem ventriculi, hypochondriorum, facta paracenteſis eſt. Serum ſanguinolentum emiſſum eſt copioſum, coloris obſolete rubri, cum multo levamine. Tinctura rhei, terra fol. tart. & oxymel. ſquill.

Die 24. Aug. hæmorrhagiam narium ad libram unam paſſa eſt. Datus cortex.

Die 20 Sept. mortua.

SECTIO.

Artuum ſuperiorum atque etiam thoracis ſumma extenuatio; abdominis autem & artuum inferiorum ingens tumor; ſumma, limitibus circumſcripta, & quaſi tympanitica intumeſcentia in ſiniſtra regione hypogaſtrica.

Tho-

Thorace aperto pulmones flaccidi, collapſi apparuere, cinericei coloris, venis hinc inde varicoſis; ceterum vix præternaturalis aquæ in cavo thoracis accumulatio.

Abdomine recluſo peritonæum valde craſſum durumque invenimus, multis vaſis, ſanguine atro infarctis notatum.

Sub hypochondrio dextro hepar in minorem molem redactum habebatur; atque in ſiniſtro ejus lobo vomica magnitudine nucis juglandis conſpiciebatur pure tenaci repleta; in reliqua etiam hujus lobi ſubſtantia plura ejusmodi, utut minora tubercula pus continentia erant diſperſa.

Lien præter duritiem, atque minorem etiam ejus molem nihil præternaturale exhibuit. Glandulæ meſenterii fere omnes induratæ; vaſorum omenti & meſenterii infarctús.

Ex pelvis cavitate ingens tumor eminebat, caput humanum ferme magnitudine æquans, forma ſubgloboſa, tenui radicula ſiniſtro uteri cornu erat infixus, atque membrana quadam circumſcriptus, ut facile pro veſica urinaria lotio diſtenta imponeret, præſertim cum manifeſta aderant fluctuationis indicia. Erat autem is tumor in dex-

tro latere atque ibi in medio circiter ita ſphacelo corruptus, ut paulo rudiori digitorum preſſione rumperetur, atque magna aquæ copia pure commiſta effluere.

Intus cavum hoc ruptum multa corpuſcula granuloſa, friabilia occupabant.

Siniſtro hujus tumoris lateri a parte poſtica tuba fallopiana una cum fimbriis expanſa erat adcreta; orificium tubæ uterinum lardacea materia occluſum. Tanta erat ovarii ſiniſtri monſtroſitas! Siniſtrum quoque ovarium ſcirrhoſum corticem, nucleum autem pure repletum exhibuit; tuba hujus lateris plane naturalis.

Veſica urinæ nil fere lotii continebat, in parvam molem contracta; membranæ tenuiſſimæ.

Uterus duritiem præternaturalem, & leviorem quandam calli ſpeciem præſeferebat; vaginæ ſtructura naturalis.

Telam celluloſam, quæ tumidum hoc ovarium vicinis partibus adligabat, hydatides hinc inde variæ magnitudinis, variique coloris obſidebant, atque innumera etiam varicoſa vaſa perreptabant.

To-

Totum abdominis cavum ingenti aquarum copia loturæ carnium ad inſtar erat repletiſſimum.

Historia Morbi X.

Phthiſis.

Puella 22 annorum, 18ma ætatis anno prima catamenia experta, regulares hucusque, at copioſiores ſemper menſes habuit. Ante duos menſes ultima menſtrua; paulo poſt facta pedis venæ ſectio eſt, imperante medico, ob excandeſcentem febrim. Per tres ultimas hyemes catarrho laborabat; tuſſis diurna nocturnaque, noctu tamen gravior; ſputa partim puriformia, partim etiam glutinoſa, atque ſanguine ſtriata.

Ante 15 circiter hebdomades tuſſis augebatur plurimum. Facta eſt venæ ſectio, cum levamine At brevi malum recruduit. Febricula, reſpirationis difficultas. Ante duos menſes vena iterum ſecabatur. Febris ab hoc tempore videbatur ſenſim fatiſcere, & major in dies reſpirationis emendatio.

At a ſex circiter diebus laborioſa iterum reſpiratio, diarrhaea exhauriens, ſu-

datiunculæ, & ſumma reſpirationis difficultas.

Die 24 Julii 1777 ad nos delata, 26ma veſperi moritur.

SECTIO.

1) In pericardio unciæ tres ſeri flavi.

2) Pulmonis ſiniſtri ſuperior pars valide connexa pleuræ erat. In ea ipſa ſuperiori parte tria cava, quarum duo vacua erant, & tertium pure plenum, inventa fuere, nucem juglandem majorem capientia. Innumeri exigui abſceſſuli piſum, lentem, capitulum aciculæ æquantes. Item granula alba miliformia innumera.

3) Subſtantia illius pulmonis aquæ injecta natabat, ſed infra ſuperficiem aquæ. Subſtantia inter abſceſſus media fuit dura, duritie hepatis.

4) Pulmo dexter raris ejusmodi granis albis, quorum quædam puris pauxillum dedere, interſtinctus apparebat, ſanus, cæteroquin paulo ad attactum durior, & ponderoſior.

5) In abdomine ſeri quaſi denioſi & tinctorii pauxillum inveniebatur. Inteſtina ob-

ſoleti

ſoleti coloris, & quaſi hinc inde gangræ-noſa. Omentum magna ex parte inflammatum; ſplen magnus, atque ita ſitus, ut prope introitum pelvis finiretur, ſanus ceteroquin.

HISTORIA MORBI XI.

Vomica pulmonum.

Die 13 Aug. 1778 Faber lignarius in noſocomium eſt ſuſceptus, qui ſequentia narravit: ſe per 14 dies febrire aſſiduo, calorem eſſe continuum, continuoque hucusque auctum.

Decubuiſſe ſe ſemper domi ſuæ; adhibuiſſe venæ ſectionem unam, & emeticum; emeticum vero nil fuiſſe operatum, nec venæ ſectione ſe fuiſſe allevatum; ſumptis pilulis purgatum fuiſſe, & incidiſſe in diarrhæam absque levamine.

Os mucoſum, ſapor amarus, febris pulſu non valde celeri, nec duro; debilitas virium magna, ſenſuum confuſio, lingua aridiſſima, ligneaque evaſit, gluten *o*ris totius viſcidiſſimum, & in fila longa ductile, tandem tuſſicula; nullus ullibi dolor. Binis vicibus pituitam & bilem paucam cum levamine vomuit dato emetico. Cum flueret alvus nimium, corticis & arnicæ de-

coctum dedi. Urinæ fere ſemper, quales ſanis ſunt. Stupor, & multa ſenſuum hebetudo, mens vacillans ſemper. Ultimo menſis Auguſti biduo lingua naturalis, mentis magna præſentia, ſenſuum uſus integer; vires. In ſella collocatus diutius & ſæpius per diem ſedebat. Urinæ antea moroſiores, cathetere ſubinde educendæ, ſponte jam fluunt. Reconvaleſcere videbatur. Die 2do Septemb. ſtertoreſe reſpirat, atque ita, ut circa caput aſperæ arteriæ obſtaculum eſſe videretur] ex ipſa reſpiratione. Vox rauca, tandem nulla, extrema frigida. Die 4. Sept. moritur.

SECTIO,

In ventriculis cerebri lateralibus multum ſeri flavi.

In ventriculo aſperæ arteriæ utroque abſceſſus ruptus, pus fœdum adhuc effundens.

In pericardio fœtcentis aquæ unciæ viij. In quolibet thoracis cavo aquæ ſanguinolentæ libra una cum dimidia.

Leviſſimum oedema pedum.

Hi-

Historia Morbi XII.

Angina membranacea in ſtadio adhuc inflammatorio conſtituta.

Sartor 18 annorum die 10 Decembris, cum nocte media adhuc iis aſſiſteret, & jocando inſultaret, qui noctu latrinarum ſedes exportant; dein vero cubitum conceſſit ſanus, ſanus etiam per omnem reliquam vitam. Mane memoratæ diei evigilat: dolorem anginoſum, & difficilem admodum deglutionem queſtus. Color aſſiduus; debilitas magna; reſpiratio celerrima, pallor vireſcens faciei. Ita die 11 & 12 Decemb. decumbendo tranſegit. Auxilia nulla; præter paucam emulſionem, quam per vices ſorbillabat, nil deglutiit.

Die 13. mane ad nos venit eo habitu, quem modo deſcripſi. Vix ad lectum deportatus, totum omnino corpus effloreſcere cepit exanthemate ſcarlatinoſo; brachia autem, præter ſcarlatinam, etiam miliaria rubra exhibuerunt. Tonſillæ tumidæ, ita tamen, ut aliquid adhuc ſpatii inter utrumque relinqueretur, atque adhuc, utut difficulter deglutiret, faucium rubedo major,

&

& granuloſa , rubraque aſpredo faucium. Pulſus pleni, atque admodum celeres; alvus leviſſime diarrhæica. Vox *rauca*; citiſſima, & perquam parva reſpiratio. Mens ſana.

Bis eodem die vena ſecta largiter eſt. Sanguis cruſtam exhibuit lividam, non valde craſſam, ſed modice tenaciorem, non contractam. Ad totum guttur veſicans. Urina naturalis colore, facies collapſa, cum virore pallida. Nil levaminis; pulſuum vix numeranda velocitas, non debilium, ſed ſemper plenorum. Reſpiratio magis in momenta citatior, breviſſimaque. Emeticum, vomuit ductilis pituitæ pluſculum. Potus ſalini, enemata; nil emendabatur. Poſt mediam noctem moritur.

SECTIO.

Cadaver ſectum eſt. Olla cranii diſſecta, ſinus omnes ampliſſimi, & plurimo ſanguine turgidiſſimi reperiebantur. Venarum omnium plenitudo ſolito major; pia mater ſolito rubicundior uti & dura, majoraque puncta rubra in cerebro lamellatim ſecto comparebant. Turgidi multo ſanguine plexus

xus choroidei. Inteſtinum jejunum ex albo dilutiſſime roſeum. Omentum quoque modiciſſime rubicundius ſolito comparuit.

Tonſillæ mediocriter tumidæ; rima glottidis ampla & hians. Membrana vero aſperam arteriam, & bronchia, eorumque ramificationes inveſtiens ſaturate, profundeque inflammata deprehendebatur. Pulmones ſaniſſimi, niſi aliquantum turgidiores ſanguine.

Historia Morbi XIII.

Pleuritis.

Operarius 37 annorum ante 15 annos vim ſacci tritico repleti, & pectori illabentis paſſus eſt. Doluit pone mammam ſiniſtram per 14 dies, cruenta ſputabat, graviſſime decubuit 7 ſeptimanis deliravitque. 6 aut 7 venæ ſectiones toto morbi tempore inſtituebantur.

Ante 5 annos ejusdem thoracis pleuritidem unam aut binis venæ ſectionibus ſanatam habuit; per 4 tunc ſeptimanas decubuit.

Ante

Ante duos annos in noſtro noſocomio decubuit ob vim denuo eidem thoraci ab illabente iterum ſacco illatam. Poſt ſeptem ſeptimanas perfecte ſanus diſceſſit. Menſe Septembris in Moravia ſex ſeptimanis ægrotabat morbo, ut videtur, putrido.

Die 21. Decembris 1778 ſaxum ingens loco moturus, fallente veſtigio cadit, ab incidente in ejusdem thoracem ſiniſtrum ſaxo ita affligitur, ut mox ſanguinem copioſum ore rejecerit tuſſiendo, & inter aſſiduos dolores ejusdem lateris punctorios. Nihilominus labores operarios exercet; ſine febre eſt. Dolor a mamma dextra ad infimam usque ſpuriarum oram.

Die 25 cruenta ſputatio ceſſat, ſuccedit mucoſa tenaxque. Accedit febris aſſidua, cum exacerbatione matutina ab horripilationibus inchoante. Difficilis, cita, brevis reſpiratio, decubitus in omnem partem; dolor extenditur jam inde a 25 Decemb. ad mollem hypochondrii ſiniſtri partem, & adhuc infra eandem. Præcordiorum plenitudo; tuſſis non moleſtiſſima. Pulſus accelerati, molliuſculi.

Die 2. Januarii 1770 ad nos venit. Jam inde a 25 Decembris non appetit, ſitit tamen.

men. In cauponis hinc inde decubuit; nil hucusque exhibuit remediorum. Nos modicam venæ ſectionem fecimus; cruſta vix ulla, & cæruleo-vireſcens; ſerum plurimum, viride; os nunquam huscusque amarum; febris aſſidua.

Facta venæ ſectione levamen exiguum. Emollientia nitroſa. Noctu ſubdilirium.

Die 3. Jan. reſpiratio cita, brevis, aſthmatica, toto fere abdomine peracta; dolor lateris & hypochondrii ſiniſtri idem.

Die 4. Jan. eadem ut heri. Venæ ſectio unc. X. cruſta leviſſima, cæruleſcens; ſerum viride. Dolor idem, eadem reſpiratio. Urinæ hucusque vix coloratiores naturalibus. Alvus facilis; emollientia.

Die 5 Jan. reſpiratio paulo melior; pulſus celeres, molles; decubitus in omnem partem facilis; veſperi debiliſſimus pulſus. Mens præſentiſſima. Mors.

SECTIO.

Sectum cadaver exhibuit:

1) Pulmones ſanos, ſolummodo ſanguine ſolito pleniores; nulla magna inflammatio.

a)

2) Sanguinem grumoſum ad uncias quatuor in thorace dextro.

3) Pleuram in toto thorace dextro, qui ſanguinem grumoſum continuit, inflammatam.

4) In abdomine nil vitii. Lien ſolito major; at ceterum non vitiatus.

Nota: 1) Dolorem toto tempore pleuriticum in latere thoracis *ſiniſtro*. Nullum dolorem prorſus, ſæpius enim interrogabam, in latere dextro.

2) Decubitus facilis in omnem partem.

3) Nullæ ullibi pulmonum ad pleuram adhæſiones.

HISTORIA MORBI XIV.

Vomitus chronicus.

Juvencula 26 annos nata, decimo 5to ætatis anno acute decubuit. Inde curata bene valuit, donec ante 4 annos quartana corriperetur, per æſtatem ſcuto ſtomachico ſanatam.

Circa 20 Januarii 1778 ultima vice catamenia habuit; clandeſtine concepit.

6. Jun.

6. Jun. vomere pituitam & bilem per vices cœpit; ſuo conſilio ſanguinem miſit. Vomitui per triduum duranti die 8va Junii ſitis jungebatur, decubuitque. Vomitus perſtat. Fit denuo venæ ſectio. Sed cephalalgia poſt venæ ſectionem plurimum intenditur.

Die 12 Junii ad noſocomium hiſpanicum deportatur, leviter febriens, a meridie & ſub veſpera, ac per noctem intenſius incaleſcens, & maxime noctu profuſe ſudans idque quotidie. Primis 14 diebus maxime ingeſta vomuit, dein vero & ingeſta ac æruginem aquoſam. Alvus tardiſſima. Ante meridiem meliuſcule. Intenſus genarum rubor aſſiduo. Lingua arida ſemper & prærubra. Semel vena ſecabatur.

Die 12. Julii ad nos habitu deſcripto venit; cute aridiſſima; ſumma emaciatio; Urinæ profunde rubræ; flavæ, caſtaneæ, cum ſedimento albo, multo, farinaceo. Odor vomitu rejectorum acer, nares feriens; color plerumque praſinus. Omnis generis medicamenta, cortex, opium &c. adhibebantur in altero noſocomio; omnia vomuit, ipſum adeo opium. Subinde mox ab ingeſtis vomit, ſubinde tardius. At etſi

ingeſta etiam mox vomat, tamen ea ſtatim virorem habent, multamque comitem pituitam. Alvus enematibus ſollicitatur. Semel etiam ſumpto emetico vitellina craſſa vomuit absque utilitate.

Din 15 Julii peperit ſemeſtrem puellum, tenuiſſimos & obſcuriſſimos in initio vagitus edentes, & paulo poſt mortuum. Vomitiones poſt partum primo rariores, dèin denuo rediere. Remedia omnia revomuit, alvus enematibus movebatur. Tandem etiam juſcula, omnemque potum vomuit vireſcentem. Emaciatiſſima eſt; febricula ſubinde, tenuiſſima tamen. Subinde ultimis diebus leve per vices, & mite delirium.

Die 1ma Auguſti moritur.

SECTIO.

Ventriculus ſaburra vireſcente plenus. Plena item eodem humore veſicula fellea. Paulo amplius inteſtinum duodenum. Colon per latus dextrum aſcendens multis, duriſque ſcybalis plenum, atque ita locatum, ut inteſtinum duodenum, qua parte id in jejunum abit, neceſſario debuerit premi,

præ-

prœcipue ægra ſupine decumbente. Colon transverſum flatu multo diſtentum. Ea vero coli pars, quæ ex lævo latere deſcendit, ſcybalis denuo multis obſtructa. Rectum vacuum. Ileum recenti inflammatione conſperſum.

Uterus triplo major, ac in aliis adultis ſolet, quæ nunquam, aut longo antea tempore pepererunt. Latera uteri, præcipue ejus orificio propiora, valde craſſa, dimidium digitum ſcilicet aut lineas etiam octo. At vero fundus uteri tenuis ſupra modum, duas vix lineas denſus. Uteri faciei poſteriori, & ſuperiori ſecundinæ nuper erant adnexæ, ubi adhuc modo ejus plura fruſtula adhæreſcentia deprehendebantur.

Hæc juvencula alteri medico faſſa eſt, ſe, ante morbum immediate, ſumſiſſe varia ad abortum procurandum ſuaſu anicularum; neſcire ſe abortivi remediii ingredientia, excepta ſola ſabina; inde vero vomitum fuiſſe ſecutum. Cum & ego id ipſum ſuſpicarer, & interrogarem, id mihi negabat.

Credo vomitum fuiſſe vi medicamenti *commotum* initio, *perſeveraſſe* vero vel ob ſtimulum medicamenti ventriculo validius

adhærentem, vel ob ventriculi nimiam irritabilitatem, item ob ſcybala coli.

HISTORIA MORBI XV.

Apoplexia.

Vir 50 annorum, mediocris ſtaturæ, ſed thorace amplo, collo brevi, craſſoque, & artubus robuſtis, coquus apud comitem, menſe Aug. 1778 æſtuans frigidam large hauſit. Inde catarrhus & difficilis reſpiratio, quibus binis incommodis per autumnum ſequentem & hyemem conflictabatur. Sub exitum hyemis ex pleuritide novem omnino ſeptimanis decubuit, ita, ut nulla amplius ſalutis ſpes ſupereſſe viſa ſit. Ternæ aut quaternæ venæ ſectiones factæ ſunt. Veſicantia complura adplicata, & remanente tuſſi moleſta crebrius opium ſumſit. Poſt initium Maji mihi committitur, aitque ſe inde a pleuritide difficilem habere ſpiritum, tuſſire, ſputa flava, mucoſa, cocta educere, non magna tamen quantitate; noctu evigilare repente, ob metum ſuffocationis ſurgere, & ſedere debere; difficilem eſſe alvum, & non niſi enemate ſollicitandam.

De-

Decumbere ſe in latus ſiniſtrum vix poſſe; non appetere. Crura & femora tumebant, aquoſo, aut potius paſtaceo tumore.

Pulſus fortiſſimi, vibrantiſſimi, duriſſimi, ſed celeritate naturali, quales antea nunquam vidi; & arteria magna, ampla, funis tenſiſſimi inſtar.

Sæpius poſt pleuritidem vena ſecta eſt, absque levamine. Dedi leniora ſalina, enemata; urinis & alvo expetitis, dedi squillam. Paucos intra dies tuſſis & ſputa nulla. Spiratio facilis effecta; nulla noctu repentina evigilatio; decubitus in omnem partem facilis; crura módiciſſime tumidula.

Cumque jam abitum e noſocomio meditaretur, ecce, circa ultimos Maii dies, cum pridie cubitum concedens ſe ſaniſſimum præter aliquam laſſitudinem diceret, ea nocte verſus auroram epileptice convellitur, convulſione intra aliquot momenta finita, jacet mentis impos, & ſublimi reſpiratione. Altero die venæ ſectionibus & veſicantibus fruſtra adhibitis, moritur.

SECTIO.

In ventriculis lateralibus perparum ſeri, ſcilicet in quovis vix unciæ ij; item

perparum ejusdem ſeri pone foramen occipitale, & ſub meninge pia. Vaſa vero multum infarcta in encephalo.

Pulmo ſanus, ſed ubique locorum, nulla protſus portiuncula excepta, cohærens arctiſſime cum pleura, pericardio, & lobi inter ſe ipſos cohærebant.

Pericardium, cum pulmonibus ubique arcte cohærens, cohærebat etiam cum corde, idque ſatis arcte, ut pericardium a corde difficulter degluberetur.

Thorax totus oſſeus; coſtarum enim cartilagines erant oſſificatæ prorſus. Cor ipſum, majoraque cordis vaſa, triplo majora, ita tamen, ut amplitudini par reſponderet craſſities.

Nota 1) Toto tempore, quo apud nos fuit, ſomnolentus fuit, & potiſſimam diei partem dormiendo conſumpſit, etſi ſæpius admoneretur, ut ſomnos protractos vitet.

2) Habuit ſymptomata ſat certa hydrothoracis, & tamen nullum in thorace cavum deprehendebatur, ubi colligi potuiſſent aquæ. Fors fuit ipſa pulmonum ſubſtantia hydropica. Nulla paracenteſis fieri potuiſſet.

Hi-

Historia Morbi XVI.

Hydrothorax.

Vinitor 27 annorum elapſis tribus ſeptimanis pectoris oppreſſione & ardoris ibi ſenſu corripitur. Miſſo ſanguine plurimum levaminis. Hucusque valde bene habuit.

25 & 27 April. 1778 malum hoc eadem vehementia recruduit. Secta vena ſine levamine.

27 April. 3tia morbi die acceſſit dedolatio, horripilationes vagæ, cephalalgia, amaror oris, dolores vagi, punctorii præcordia tota occupantes.

4ta Maij, 10ma morbi die e pago a quatuor ruſticis in amplo vaſe, quo maſſam farinaceam pro pane pinſendo ſubigunt, ad nos deportatur; rudiſſimæ & craſſiſſimæ minervæ filius. Aurium ſuſurrus, vertigo; appetitus proſtratus; lingua ſicca, ſcabra, color faciei ex flavo vireſcens. Dolor punctorius præcordiorum vagus; decubitus in latus ſiniſtrum difficilis; tuſſis aſſidua. Alvus a quatuor diebus clauſa. Pulſuum celeritas, & modica durities, Calor naturali vix major. Data ſunt lenia ſolventia.

Circa veſperam valida morbi exacerbatio, cum delirio, reſpiratione difficili, anheloſa, cum metu ſuffocationis; dolor punctorius plurimum auctus, a cardia ad medium thoracem usque excurrens. Secta vena eſt; ſanguis bonæ indolis. Exhibito poſt venæ ſectionem emetico vermem rejecit, cum magna bilis copia. Nullum autem ab emetico levamen.

5ta Maji, 11ma morbi die, cephalalgia valida absque delirio. Lingua in medio ſcabra; reſpiratio difficilis, anheloſa, fervens, dolore punctorio nunc evanido. Ponderis in epigaſtrica regione ſenſus; anxietas. Alvus libera, urinæ ruffæ. Pulſus celer, plenus, ſubdurus. Veneſectio & ſolventia antiphlogiſtica, modico cum levamine.

Veſperi morbi iterum exacerbatio, cum metu inſtantis ſuffocationis. Orthopnœa frequens.

6ta Maij mane ſumma reſpirationis difficultas, cum anhelitu, & ſuffocationis periculo. Vena ſecatur, absque ullo levamine. Veſperi ſuffocatus periit.

SEC-

SECTIO.

Remotis muſculis thoracem obveſtientibus, ſexta vera coſta lateris dextri, numero a ſuperioribus ducto, a ſuo cartilagine penitus diviſa inveniebatur, atque ita, ut interſtitium circiter unius alteriusve lineæ inter cartilaginem & extremum coſtæ finem intercederet. Cartilaginis & coſtæ ab ſe invicem ſeparatæ extremitates videbantur non vi diffractæ, non eroſæ, ſed ſuapte, ſoluto vinculo ſeſe invicem dimiſiſſe.

Pone illum locum ſolutæ cohæſionis, in muſculorum thoracis pinguedine, amurcoſa quædam materies, pauca quantitate locabatur; nulla tamen eroſionis ibi ſigna alia fuerunt, ut non facile determines, an aliunde delata hæc materies fuerit, an ibi nata. Tota hæc coſta, ab ambiente perioſtio liberrima fuit, nudaque tota, ſic, undique ſero ex flavo rubello, quod intra diſtentum perioſtium coſtæ continebatur, allueretur.

In cavo thoracis dextro flaveſcens ſerum ad ℔ 1 β continebatur. Pulmonis ejus infima portio diaphragmati nectebatur membrana, ut videbatur, recenti, fictitia, facile lacerabili, qualis fieri ex ſero phlogiſti-

 ſti-

ſtico tranſſudante ſolet. Pulmo ipſe ſaniſſimus; at pleura plerisque in locis naturali craſſior, & maculis amplis rubrisque variegata.

In ſiniſtro thorace idem exacte deprehendebatur ad coſtam numero quintam, ſeu amurcoſam materiem, ſeu ejus coſtæ & a cartilagine ſeparationem & a ſuo perioſtio, ſeu contentam intra perioſtium aquam, quæ coſtam ambierat, ſeu coſtæ ipſius integritatem, nulla ullibi læſionis ſigna habentem, ſeu aquam in ipſo thoracis cavo ſpectes.

Intra pericardium unciæ iv aut v aquæ flavæ deprehendebantur. Pleura hujus lateris, uti in dextro thorace. Pulmo ſiniſter ſanus. Nulla tamen in hujus lateris cavo pſeudomembrana reperiebatur.

Pauxillum ſeri flavi in abdomine. Hepor paulo magis flavum, & mollius. Cetera ſana. Bilis amurcoſa.

Nota: 1) Interrogavi ejus amicos notosque; eum ſemper optima valetudine uſum afferebant; nullum ipſi violentiam fuiſſe illatam, unde illam coſtarum a ſua cartilagine diſceſſum deduceremus.

2) Videtur fuiſſe pleuroperipneumonia inflammatorio - bilioſa, aut inflammatorio

pu-

putrida. Hydrothoracis rudimentum ante hunc ultimum morbum adfuiſſe; eam vero aquarum collectionem fuiſſe ſub morbo auctam.

3) Morbum fuiſſe febrilem, bilioſum, putridum, docuerunt omnia ſymptomata. Inflammatorium quid fuiſſe complicatum, deſumo ex anni tempore, & pſeudomembrana. Hydrothoracem oriri, tum in vera, quam in bilioſa pleuritide, aut peripneumonia, aliunde poteſt demonſtrari.

4) Fors hauſtu frigidæ, utpote ruſticus, hanc thoracis affectionem præcedentem, & ipſum ultimum morbum ſibi conciliavit.

5) Videtur ipſum ſerum, aut etiam amurcam coſtæ vicinam ejusdem cum cartilagine cohæſionem ſeparaſſe, uti & perioſtium a ſua coſta.

Historia Morbi XVII.

Peripneumonia latens.

Puer 13 annorum circa initium æſtatis 1777 ſanus antea, febricula corripitur quotidiana, ut per vices lecto decumbere coge-

geretur. Hyeme apropinquante febricula hæc in febrem continuam remittentem abiit. Menſe Decembris acceſſit tuſſis, nocturno præſertim tempore, exacerbata, primum ſicca, ſenſim vero ſputis puriformibus prodeuntibus; ſudores nocturni. Remedia nulla adhibuit.

6. Martii 1778 ad nos venit cum ſpiratione laborioſiſſima, oppreſſione pectoris aſſidua, tuſſique creberrima, orthopnœa. Febris aſſidua, ſudores colliquativi, atque ſumma corporis emaciatio. Sub finem morbi acceſſit dolor lateris punctorius, difficilis decubitus in latus ſiniſtrum; pulſus celer, debilis. Abdominis intumeſcentia: 6ta Aprilis, poſt 4 ſeptimanas poſtquam ad nos venit, moritur.

SECTIO.

In utroque cavo thoracis ſerum erat; ejus libra una in dextro thorace erat flaveſcens; in ſiniſtro vero erat libra una cum dimidia ſeri turbidi & ichoroſi.

Pulmo dexter ſanus per omnia; ſiniſter per totum inflammatiſſimus. In pericardio erant ſeri unciæ v.

Pin-

Pinguedo abſumpta; muſculi evanidi, exſangues. Tela celluloſa modice hydropica.

Corpus & mortui & viventis erat penitus atrophicum, emaciatiſſimum, & icterodes per omnia; abdomen tumidum, leviter tympaniticum.

In abdomine libræ duæ circiter ſeri flaveſcentis. Glameres multi lumbricorum in tenuibus inteſtinis, maxime in jejuno; glomeres hi pituitæ inſidebant.

Hepar magnum, utrumque hypochondrium replens. Magnus ſplen hepati immediate ſubjectus.

Glandulæ meſenterii magnæ, tumidæque, ſed flaccidiſſimæ. At vero pancreas majus multo ſolito, & prædurum, & ſcirrhoſum.

Pancreati nectebantur tria corpora, quorum maximum æquabat nucem juglandem, quæ diſſecta extus & intus exhibuerunt ſubſtantiam aſpectu, tactu omnino ſimillimam ſubſtantiæ lienis diſſecti. Ultima membrana etiam ſimillima utrobique.

Nota 1) Latens & letifera peripneumonia.

2) In corpore non inflammatorio alias.

3) Indicantia & contraindicantia in glandulis partim *flaccidis*, partim *præduris*.

4) Indicantia in corpore hydropico, & ſimul inflammato.

HISTORIA MORBI XVIII.

Hydrops thoracis & pericardii poſt dyſenteriam.

Hortulanus 38 annorum ſanus hucusque, intermittentem febrim ſi excipias, qua ſæpius in vita affligebatur. Elapſo autumno, initio Septembris 1777, poſtquam quatuor circiter ſeptimanis de reſpirationis difficultate eſſet conqueſtus, dyſenteria corripitur, cum dolore fixo circa lumbos. Menſe Octobris acceſſit inappetentia, aſſiduus frigoris ſenſus. Hucusque erecto corpore ægrotabat.

At 16 Martii dolor punctorius lateris ſiniſtri circa quartam coſtam ſpuriam, tuſſi, & attactu externo auctus. Vena bis ſecabatur, parum inde levaminis. Continuo augebatur malum. Decubitus & in latus affectum, & in dorſum difficilis. Tuſſis frequens; ſputa pauca, purulenta. Oedema

ma pedum. Dolor lateris ſubinde ad ſcapulam protenditur.

Die 21. Veſicans ad locum dolentem applicatum. Dolor nullus amplius in latere nec in ſcapula.

Dolor 19. April, non opinantibus, mentis compos, nec pejus eo die, ac alias ſe habens, repente moritur.

Cortice, lichene, polygala uſus eſt.

SECTIO.

Cavum thoracis ſiniſtrum aquæ flavæ ſelibram continuit.

Libra ejusdem ſeri in pericardio.

Pulmones tuberculis milii ſemen, ciceremque æquantibus, & albis pleni, materiemque ſebaceam, aut quaſi cartilagineam continentibus. Tuberculum unum nucis juglandis magnitudine, rotundum, & ex materia ſebacea conſtans, in lobo ſiniſtro fuit.

Plures in utroque pulmone abſceſſus, lentem, cicerem, nucem moſchatam capientes, pure pleni, & parietibus duris præditi. Durior multo, ac in ſtatu naturali ſolet,

let, abſceſſibus aut tuberculis interjacens ſubſtantia repleta fuit.

Hepar, lien bona. Ventriculus exiguus in formam craſſioris inteſtini contractus. Cæcum & colon totum parietibus ſolito multum craſſioribus, duris, & glandulis multis nucis moſchatæ magnitudinem habentibus, & minoribus etiam conſperſum. Interna coli facies ab naturali habitu abludebat, carneosque appendiculos digitum ſubinde longos, & duas lineas latos, quaſi totidem pendula ex pedunculo fruſtula cornea exhibebat. Glandulæ meſenteriæ numeroſiſſimæ & tumidæ valde, infarctæque viſebantur.

HISTORIA MORBI XIX.

Pleuroperipneumonia bilioſo putrida.

Lapicida 48 annos natus per octo circiter dies de inappetentia, & fœtore oris conquerebatur. 20. Martii 1778 a meridie frigore, cui calor ſuccedit, corripitur. Acceſſit pectoris oppreſſio, dolor lateris dextri punctorius ab infima coſta ſpuria per totum thoracem dextrum protenſus; tuſſis ſic-

ca,

ca, decubitus in affectum latus difficilis; abdomen dolens; ſitis multa, ingens dedolatio. 21. Martii ſecta vena; vix per horam levamen; omnia mox pejora,

22. Venæ ſectione repetita æque tranſitorium levamen. Atque ita morbus continuo augebatur.

Die 25. ad nos venit. Cephalalgia. Valida pectoris oppreſſio; dolor lateris punctorius tuſſi, inſpiratione, & attactu externo auctus. Reſpiratio thorace ferme immoto, ſolo abdomine peracta. Abdomen tumidulum & ardoris in illo viſcere ſenſus attactu externo auctus. Calor ad attactum vix major naturali, at magnus intraneorum quoad ægri ſenſationem æſtus. Stranguria. Pulſus celer, exilis, ſub premente digito vix non evaneſcens. Univerſim magna virium vitalium ruina, & luridus faciei color.

Solventibus, & largo potu præmiſſis emeticum exhibebatur. Non vomuit; alvus octies mota; modiciſſimum levamen. Major paulo pulſuum vigor.

27. Reſpirationis & doloris punctorii emendatio; minor ardoris in abdomine ſenſus. Alvus per diem 6ies mota. Urinæ cum hypoſtaſi lateritia. Somni meliores.

28. & 29. eadem morbi conditio. 30. emeticum; vomuit pauca; 9nies dejecit. Vix ulla morbi mutatio.

Die 31. Martii a meridie de aſſiduo, at levi ardoris in thorace ſenſu conqueritur; dolor tamen lateris punctorius plurimum imminutus. Ultimo biduo reſpiratio iterum difficilior. Friguit, incaluitque per vices; tuſſitare denuo validius; pauca, mucoſa herbaceique coloris rejicit. Ardor gravis; inſomnis. Pulſus debiles, collapſi, vix celeriores naturalibus. Mens perfecte conſtat. Oppreſſio gravis; lamenta. Die 5. April moritur.

SECTIO.

Pulmo dexter parte media valide inflammatus; ipſa lobi inflammati ſubſtantia duriſſima, in aqua mox fundum petens. Pulmo ſiniſter ſaniſſimus, cor flaccidiſſimum.

Ilei pars magna ſubinflammata; venæ meſenterii multo ſanguine infarctæ, hinc inde varicoſæ.

Ligamentum prodiit ex peritonæo, haud procul ab umbilico; ſed inferius & dextrorſum. Vinculum hoc membra-

bra-

naceum inteſtinum jejunum ſuperſcandit. & haud procul ab illo inſeritur meſenterio, ita, ut ipſum inteſtinum jejunum facile potuiſſet ſtrangulari, & ileum efficere non ſolvendum.

Nota: 1) Poſt primum, uti & poſt ſecundum emeticum reconvaleſcere videbatur; melius habuit, dormivitque.

2) Die tertia & quarta Aprilis recruduerunt omnia.

3) Pleuritis inflammatoria, ſed a ſtimulo putrido, non auferibili. Moriuntur adhibita methodo *mere* antiphlogiſtica; moriuntur etiam adhibita methodo *mixta*, niſi inflammatio non ſit validiſſima, & ſtimulus mobilis, auferibilis „ & morbus in initio verſetur, & præmiſſa phlebotomia mox *auſpicato* emeſis inſtituatur; at niſi vomant *digne*, ſi pauciſſima, aut nihil ore reddant, ſi emeticum abeat in purgans, nil proficies, ſed fiet *alterans*.

Historia Morbi XX.

Febris putrida verminoſa.

Puer annos, 12 natus, clanteſtino thoro ſuſceptus, in orphanotrophio educabatur.

Duris mox laboribus adhibitus imbecillo corpore erat. Die ſancto veneris 1778 incaleſcit, horretque per vices. Triduo ita exacto, aſſiduo calet, & vomiturit frequenter. Domi emeticum a chirurgo datum eſt, quod bilem, pituitam & lumbricos excuſſit.

Die 26 ſe petechiis maculatum prima vice vidit.

Die 29. April ad nos venit. Petechiæ profunde rubræ, & quædam ferme fuſcæ, minutæ, lenticulares. Pulſus naturali celerior, & calor naturali vix major. Amaror oris, & lenia ventris tormina, per vices, maxime ad attactum; ασιτος, αδιψος. Emeticum. Amaram pituitam, & lumbricum vomuit; vix levatur. Aſpectus ſubinde fixus, velut obſtupentis, & ultimo biduo oculorum conniventia, alba eorum portione apparente. Tertia Maji veſperi moritur.

SECTIO.

Aperto abdomine glandulæ plures, & ſolito majores conſpiciebantur in meſenterio; itemque duræ.

In-

Inteſtinum colon hinc inde contortum, contractumque in modum funiculi; tenuia multis in locis rubentia.

Omentum rubens & inflammatum. Mucus, per omnes inteſtinorum anfractus, copioſus, craſſus, tenax, uti in verminoſis ſolet. Lumbrici. Multæ trichurides, præcipue in tenuibus.

Historia Morbi XXI.

Pleuroperipneumonia bilioſa.

Mercenarius 24 annorum tota die 10 Febr. 1778 plus ſolito caluit, ſanus antea per omnem fere vitam. Die 11. Febr. calor major; decubuit. Dolor punctorius thoracis ſiniſtri totius, decurrens ad os ileum ejusdem lateris. Tuſſis crebra; reſpiratio difficilis, ſonora, interciſa, & abrupta; decubitus ſupinus; os mucoſum. Die 2 Martii ad nos venit facie pallidiſſima, at plena, & pleno corpore; lacera & miſerrima veſte male tectus, & pediculis ſcatens; eum miſerabili diæta uſum, & ſub dio cubaſſe, per alios conſtitit.

Pulſus duri, pleni, vibrantes, accelerati, & reſpiratio πλευριτικωτατη. Sputa pituitoſa, initio pauca, at ſanguine remixta.

Inciſa vena ſanguinem largiter eduxi, cruſtra craſſa tenaci, diffuſaque tectum, coloris vireſcentis flaveſcentisque. Ne hilum a phlebotomia levabatur, etſi iterata. Amaritiem oris nullam, nullum ventriculi incommodum querebatur. At lingua albida, atque in medio ſicca, ſcabraque ſupra modum fuit. Inflammatoriam equidem pleuritidem rebar, eamque gravem, ſed a fomite bilioſo, putridoque concitatam. Emeticum dedi; vomuit amurcoſa multa, dejecitque cum levamine mox inſecuto febris, dolorisque.

In ſputis nil cruenti comparuit. At elapſis a vomitu duodecim fere horis omnia recruduerunt. Venæ ſectiones denuo inſtitutæ pulſuum duritiem, plenitudinem, vibrationem nec in minimo emendaverunt, celeritatem vero eorundem auxerunt. Sputa denuo prodiere copioſiora, glutinoſa, cruore remixta; & reſpiratio ſibiloſa, ſtertens, laborioſa, accelerata, interciſa, abrupta, poſt ſingulas phlebotomias evaſit pejor; cruſta ſemper craſſa ſupra modum.

Alte-

Altera vice emeticum datum; denuo levamen omnium ſymptomatum per 12 fere horas induxit; vomuit autem biliofam amorgen. Inſurgente denuo & dolore & febre, & reſpirationis vitio, phlebotomia larga inſtituta eſt; ſanguis ſemper phlogiſticus. Nocte tandem die 12 Martii inſequente moritur, ſenſibus vegetus, & reſpirans abruptim, laborioſiſſime, & ſibiloſe, ac citiſſime.

Toto morbi tempore alvus leviter diarrhæica fuit. Uſus eſt decoctis mere antiphlogiſticis.

SECTIO.

Detractis thoracis muſculis pauxillum puris vireſcentis ſub muſculo pectorali deprehendi, coſtæ primæ inſidentis; an ibi formatum, an vero aliunde illuc delatum fuerit, non ſcio. In thorace ſiniſtro.

Siniſter pulmo collapſus; cetera ſanus fuit; pleura ſaniſſima. In cavo pectoris dextro pulmo ſupernæ pleuræ firmiſſimis & membranoſis vinculis cohæſit; inferius liber fuit, ibiquæ aquæ flaveſcentis bilioſæque, & ferme tingentis uncias fere decem con-

 tinuit.

tinuit. Pleura ibi, ubi pulmoni non nectebatur, ſed ab aqua ambiente lambebatur, maculis parvis, obſcure rubentibus erat diſtincta, atque vaſis rubris, quaſi injectis, & ſub aſpectum cadentibus, quemadmodum alias membranæ inflammatæ ſolent. Ipſe illius lateris pulmo æque ſanus fuit.

In abdomine ventriculus exiguus, hepar inæquali ſuperficie, & inter ſcindendum modice mollior. Perparum bilis erat in veſicula.

Inteſtina tenuia hinc inde obſcure rubentia, maculis leviter ſed obſcure rubentibus, absque tamen vaſorum quaſi injectorum apparitione. Cetera juxta naturam.

Nota: Fuit pleuroperipneumonia ſpuria, ſive bilioſa, aut putrida, quæ tamen pro inflammatoria inpoſuit, ita, ut, etſi bilioſum putridum adeſſe vitium ſuſpicarer, tamen prævalere exiſtimarem phlogoſin, ob violentiam febris, ejusque continuum tenorem, ob abſentiam ſignorum bilioſam ſaburram notantium; res enim hæc aliter plerumque in bilioſa pleuritide obtinet. Difficultas diagnoſeos utriusque pleuritidis ſubinde, quia altera alterius veſtem, & larvam induit, & quia temporibus inflamma-

toriis

toriis non raro tamen ſporadicæ, & febres bilioſæ occurſant.

Unde pus? neſcitur. Unde aqua? frequenter & in morbis inflammatoriis pectoris reperitur, & in bilioſis. Fors fuiſſet ſervatus frequentiori emetico, & venæ ſectionibus omiſſis.

Historia Morbi XXII.

Febris maligna.

Juvencula 26 annorum ſeptem integris annis nulla catamenia habuit. Orta poſtmodum ante biennium febri acuta, ex qua convaluit, menſes tanto tempore ſuppreſſi redierunt. Bona ab ea febre valetudine uſa eſt. Menſe Februario 1778 difficile iter, plurimisque incommodis grave e Bavaria Viennam ſuſcepit, ubi miſerrimo victu uſa, & habitatione non ſana, ſervitium anxie quæſivit. Sub exitum menſis Martii ultima menſtrua habuit.

Die veneris ſancto 1778, cum jam inde ab itinere languereidentidem, cephalalgia, capitis gravitate, horrore, ſubſequente calore corripitur, nauſeat, os au-

ſterum, amarum. Pallor vireſcens circa labia, & pone narium pinnas, genarumque intenſus rubor. Ingens dedolatio, de qua peculiariter conqueritur.

Datis ſalinis ſoventibus, emeticum propinabatur; vomuit cum aliquo, ſed exiguo levamine, pauca, pituitoſa, biliosa, amara. Febris ab initio pauca, hucusque, & ingens dedolatio perſtat, facies poſt emeſin non mutatur. Sumit decoctum graminis, taraxaci, cichorei.

At lingua areſcit, febris pauca aſſidua, carebaria, enormis dedolatio non mutantur. Cutis ariddiſſima, anſerina, inperſpirabilis, ſcabra. Faciei circa os & nares pallor vireſcens, & genarum intenſa rubedo manent. Decoctum corticis; ſpiritus vitrioli in aqua communi. Nil emendatum; reſpiratio fervens; pulſus ſere naturalis.

Die 29. Aprilis ſub aurora aliquoties convellitur; aphonos, mentis impos, oblata reſpuens; ceſſante convulſione eo die copioſus ſanguis per vices alvo prodit, quidam etiam ore. Aphonos manet, at iterum oblata aſſumit, cortex, liquor anod. m. Hoffmanni, veſicantia.

Die 30. April. circa meridiem moritur.

SEC-.

SECTIO.

Pulmonis dextri ſuprema non exigua portio inflammata, non tamen diriſſime; reliqua ejusdem pulmonis pars, & pulmo ſiniſter naturalis.

Inteſtina tenuia fere omnia quaſi ſugillata, maculis amplis. Membrana interior eorundem multis in locis veluti arroſa, muco oblita multo, qualis eſſe ſolet in inteſtinis verminoſorum; interior quoque tenuium membraná, uti & craſſorum pluribus in locis pannum rubrum referebat, nullis diſtinctum rubentibus vaſis, ſed æquabili rubore; quaſi ſugillatione ſuffuſum.

Glandulæ meſenterii ſolito majores, & plures in conſpectum venerunt, & flaccidiores. Solito ampliores tubæ, & ferme hydropicæ; ovaria ſolito majora hinc inde grumos quaſi ſanguinis, piſi, fabæque magnitudinem referentes, exhibebant.

Nota: Malum eventum, vel difficillimam, laborioſiſſimamque convaleſcentiam augurabar in omni febre, quam cauſſa effecit diutiſſime & valide applicata.

Hi-

Historia Morbi XXIII.

Morbus malignus.

Iuvenis 22. annorum, piſtor ſanus a pueritia, & inſigni muſculorum robore præditus; ante ſemialterum annum vino immoderatius uti cœpit; inde exacto dimidio anno in febrim acutam, quæ innflammatio pulmonis fuiſſe videtur, incidit. Ex eo tempore nunquam perfecta valetudine fruebatur. Reſpirabat enim difficilius ſolito, & cum ſenſu oppreſſi pectoris. Tuſſitabat, noctu præſertim. Ab initio Januarii 1777 crines defluere cœperunt, roburque virium minui, tuſſitabat frequentius. Circa vigeſimam Martii horripilationibus perſtringebatur, crebrius & cum calore alternantibus. Dedolatio magna; ſitis; ſemel bilioſa vomuit ſponte; poſt octo dies, quos ita ægrotans, erecto tamen corpore domi ſuæ tranſegit, ad noſcomium venit ſtupidus, & quaſi temulentus, apte tamen adhuc ad interrogata reſpondens. Signa colluviei pravæ circa præcordia ſtabulantis exhibuit; pauca febris. Præmiſſo ſolvente remedio vomitum radice ipecacuanha ſollicitavimus.

Re-

Rejectis mucoſis aquoſisque perquam, ut ajebat, amaris, melius habuit. At poſt duos circiter dies delirium mite, nocturnum; lingua arida, fuſca. Præſcriptis iis, quæ febri malignæ convenire videbantur, mens rediit, ut non niſi inter dormiendum aliena loqueretur. Cum die, ex quo ad nos venerat, octava, mane commode ſe haberet, en, a meridie præcordia mirum elevantur tumentque; mentis impos omnino jacet; nullum ſenſus ullius ſignum edens, niſi ſi quis elevatum abdomen rudius contrectaretur; tunc enim palpitante utraque manu contrectantis dextram amoliri conabatur. Eadem nocte moritur.

SECTIO,

Recluſo cranio ventriculus uterque aqua limpidiſſima ita turgebat, ut, cum ſiniſtrum primo aperiremus, ſerum hoc vi proſiliret, dexter vero ob rotundum in ſepto foramen, ſimul evacueretur, utpote aqua e dextro ventriculo in ſiniſtrum, & inde foras profluente. Sanguine atro majora meningum vaſa replebantur, minora vero quaſi ab injectione rubebant.

Tho-

Thorax apertus exhibuit pulmonem ſiniſtrum totum cum pleura connatum, ita ut membrana quaſi lardacea albaque, ac unam & duas hinc inde lineas craſſa pulmonem pleuræ arctiſſime necteret. Subſtantia pulmonis utriusque, ubicunque ſecabatur, confertiſſimis granulis albis, durisque, quaſi milii ſeminibus intertexta deprehendebatur.

Hepar admodum exiguum, & infra coſtas infimas penitus reconditum erat. Omentum ad veſicæ fundum usque protenſum, quocum infima ejus limbus fortiter cohæſit. Peritonæum, qua muſculos abdominis, diaphragmatis concavam ſuperficiem, & hepar obveſtit, quave etiam partem veſicæ contegit, tuberculis ciceris potiſſimum magnitudinem habentibus, & glanduloſam, ſi ſecaretur, ſubſtantiam, quorum extimam ſuperficiem manifeſta ſanguifera vaſa perreptabant, referentibus & confertiſſimis conſpergebatur.

Glandulæ meſenterii plures, & multo majores, quam alias ſolent, in conſpectum prodierunt. Inteſtina levis inflammatio tenuit.

No-

Nota: 1) Piſtorum prædiſpoſitio.

2) Nocturnæ tuſſis cauſa.

3) Mala pectoris poſt pleuritidem aut peripneumoniam.

4) Meteorismus duplex, per ſe *letalis*, & *ſpurius*.

Historia Morbi XXIV.

Meteorismus.

Famulus 42 annorum ante 20 circiter annos, ex mania convaluit. Ab eo tempore vilioribus in noſocomio laboribus fungebatur, ſanus mente & corpore. Sed artubus ſemper tremulis, laborioſus, taciturnus & religionibus multis deditus, auſteram vitam ducebat. Circa initium Maji 1778 venam ex conſuetudine ſibi tundi curat; id quod ſingulis annis verno tempore factitabat. At brevi, cum brachio, cujus vena ſecta fuerat, immoderatius uteretur, ejusdem dolorem tumoremque quaſi eryſipelatoſum queritur. Febricitat; ſitit; lingua ex albo flava, mucoſaque eſt. Pulſus fortis, plenus.

Suſceptus in hoc ſtadio in noſocomium eſt circa 10. Maji, ubi & crus, & femur

to-

totum tumenti dolentique brachio reſpondens, tumore leucophlegmatico mirum diſtendebatur. Profunda prementis digiti veſtigia remanſerunt. Brachii tumor antea eryſipelaceus, nunc aquoſus eſt. Abdomen elevatur valide, non tenditur, non dolet, ne quidem ad attactum. Accedit diarrhæa moderata; ſubdelirium per intervalla. Pulſus non multum celerior naturali; fortis, plenusque perſtitit ad ultimum usque vitæ ſpiritum. Die 20. Maji moritur.

SECTIO.

Aperto cranio aqua inter utramque meningem reperiebatur; pia meninx craſſa admodum, & oedematoſa fuit. Lobus uterque cerebri, qua parte in recens natis fontanella eſſe ſolet, firmiſſime cum interpoſito falciformi ſinu coaluerunt, & hujus ope validiſſime inter ſe cohæſerunt.

Subſtantia totius cerebri & cerebelli flaccidiſſima, & facile diffluens. In ventriculis aliquid aquæ, ſed perparum fuit. Choroidei plexus hydatibus pleni, quas vaſcula quaſi ex injecto liquore pulchre rubentia perreptabant; maximæ fabam æquabant,

Pul-

Pulmones ſani. In pericardio ſerum rubellum, fors ab admixto inter ſecandum cruore tinctum, trium circiter unciarum fuit.

Hepar flaccidius ſolito; & dilute flavum omentum putridum penitus. Inteſtinorum & ventriculi membranæ œdomatoſæ, atque laxius inter ſe nexæ. Fœtor gravis, qualis a flaccidiſſimis inteſtinis eſſe ſolet, & putreſcentibus, colorque obſolete flavus, fuſcus, plumbeus; aëre multo diſtendebantur, ut inde, & non ob aqua, quam in abdomine vix dignam notatu, atque perpaucam reperimus, ille præcordiorum meteorismus, & totius abdominis diſtentio repetenda fuerit.

Nota: 1) Cerebrum *flaccidius*, coalitus loborum cum ſinu falciformi, & craſſior pia meninx, antiqua vitia videntur eſſe. An hæc conveniunt cum aliis in cadavere maniaci repertis?

2) Homo & pauci cibi, uti ſemper fuit, & venæ ſectione intempeſtiva vires dejiciens, in morbum gravem ac letalem ruebat.

3) Morbus malignus fuit, & meteoriſmus letalis.

4) Necroſis inteſtinorum absque præ- greſſa inflammatione; & ſi prægreſſa ſit, ea ſuit absque dolore.

5) Pulſus ſemper toto morbi tempore fortis, plenus, non multum celer. Agoni- zanti pulſuum id robur, eaque univerſim conditio fuit, ut cum hoc pulſu multi, & ſani, & robuſtiſſimi vivant.

HISTORIA MORBI XXV.

Ulcus ventriculi.

77 Annorum fœmina, nunquam mari- tata, vomuit ingeſta ab aliquo tempore. Languidiſſima, vix ſando par, ad nos de- portata eſt, nec anamneſin facere pote- ramus.

Refecto cranio, cerebrum paulo flacci- cidius, & obſcure leniterque flavicans me- dullaris ſubſtantia.

Thoracis cartilagines duri, & ferme in oſſis ſubſtantiam induratæ.

Pulmones collapſi, & maculis nigris variegati; parum aquæ intra pericardium. Ventriculus pone pylorum arctiſſime cum ſima hepatis facie coaluit.

In-

Inferior ejusdem curvatura, qua pyloro illa propior eſt, meſenterio valide & amplo ambitu nectebatur. Eo nexu ope cultri ſoluto, ventriculum ibi loci, ulcere fœtido, cujus diameter decem lineas facile æquabat, eroſum, ac ita perforatum vidimus, ut eroſio ipſum etiam ſubjectum meſenterium penetrarit. Ex ulcere nullus dabatur exitus, niſi in ipſum ventriculum utpote per omnem ambitum nexu ventriculum cum meſenterio arctiſſime revinciente.

Ventriculi parietes, circa ulceratam plagam præcipue, & pone pylorum craſſi, duri, tuberibus ſteatomoſis obſeſſi. Amplus valde choledochus ductus. Omentum inteſtinis & peritonæo multis locis cohærebat.

Exigua & flacciddiſſima glandula pancreas, & haud procul ab eadem alia meſenterii; nucem juglandem æquans, & materiem continens ſebaceam.

Glandulæ aliæ meſenterii propemodum evanidæ.

Uteri fundus plurimum ſiniſtrorſum ſpectabat, ob breviſſimum ligamentum latum illius lateris, altero alterius lateris multum elongato.

Corpora vertebrarum ad lumbos ita introrſum eminebant, ut qui abdomen viventis exploraſſet, ſcirrhum, aut tumorem quemcunque durum & magnum ſe contrectare facile exiſtimaſſet, vertebris his plus, quam alias plerumque ſolent, introrſum procurrentibus deceptus, idque in abdomine minime obeſo, & pertenui.

Glandula inguinis ſiniſtri nucis juglandis magnitudine erat, & quaſi ſebo diſtenta.

Internam arcus aortæ faciem prominentes quaſi arenulæ, aut oſſium ſcabra fragmentula exaſperabant.

Nota: 1) Vitium ventriculi.

2) Glandulas ſimul infarctas quasdam, cum flaccidiſſimo pancreate.

3) Falſa tumoris duri imago ob vertebras lumborum.

4) Encephalon paulo flaccidius, licet in vetula.

5) Sternum ferme oſſificatum, tuſſim & difficilem inde reſpirationem; etenim noctu valide tuſſitabat, & ſemper cum difficultate reſpirabat.

Hi-

Historia Morbi XXVI.

Hydrothorax.

Piſtor die 11 Julii ad noſocomium venit, aitque ſe ſanum antea fuiſſe; tertiam modo diem agi, ex quo os amareſcat, & febriat vago more. Solventia ſunt data; emetico dato nil vomuit, dejecit absque levamine. Febris aſſidua, absque remiſſione ulla notabili. Tuſſicula ſerius acceſſit. Stupor aliquis. Ob pulſum venæ ſectio; ſanguis bonus. Tandem alvus in lectum funditur; mens aberrat, maxime noctu; clamat, ſurgit. Pulſibus ultimo triduo duris effectis, ſanguis iterato eductus, bonus, niſi leviſſimam gelatinam exceperis, in uno vaſculo obſervatam. Lingua ſemper humida, leviter albeſcens. Die tertia Auguſti moritur. Tuſſicula frequens, inanis ad mortem usque.

S E C T I O.

r In ſingulo thoracis cavo aquæ plurimum cruentatæ, & fere nigreſcentis unciæ xv. In pericardio ejusdem aquæ unciæ v.

Circa cerebellum perparum ejusdem ſeri cruenti.

Vidi complures, quibus, febre maligna detentis ſanguis multus meracusque per anum exiit, quive curabantur. Malo cum eventu extravaſatus cruor in cavum thoracis utrumque, & pericardium effundebatur.

Historia Morbi XXVII.

Hydrops.

Viduæ 34 annorum, trium prolium matri, & a longo jam tempore ſanæ, ante decem menſes pedes, crura, demum abdomen, totumque tumere corpus cepit. Variis extra noſocomium remediis tentata, nil profecit. Aquarum ſub cute & in abdomine contentarum moles quotidie increſcit. Spiratio difficilis admodum, & cum decumbere tentaret, metus ſuffocationis. Hinc dies noctesque ſedendo transegit. Urina pauciſſima, ruberrima; alvus ſtricta. Paucis, poſtquam ad nos venerat, diebus ſedens moritur.

SEC-

SECTIO.

Facies turgidior, quam in vivente, lividaque & tumentibus venis, quemadmodum in ſtrangulatis ſolet.

Aperto thorace aquarum magna copia profluxit. Pericardium aquis plenum. Pulmo dexter ad latus & diaphragma variis membranaceis nexibus religabatur. Pulmonis utriusque membrana extima in innumeras variæ magnitudinis veſiculas, pellucidas, aëre diſtentas, quarum maxima ovum gallinæ æquabat, elevabatur. Hæ cultro punctæ emiſſo flatu ſubſidebant.

Turgens hac ratione pulmo intra thoracem ægre continebatur. Interior hujus viſceris ſubſtantia bona. Coſtæ multæ tenuiores fuerunt, ac in aliis eſſe ſolent, & facillime diffringebantur. Glandula thyroidea in ſtrumam elata.

Abdomen magnam quoque vim aquarum continuit, uti & omnis celluloſa. Hepar durius multo, quam in ſanis ſolet, & coloris magis ſanguinei, ac ordinarie conſuevit. Veſicula fellea bile glutinoſiſſima diſtenta. Omentum convolutum, ejusque exigua portio ex rubro livida; inteſtina

hinc inde leviter inflammata. Meſenterium ejusque glandulæ bonæ.

Lien exiguus, gravis tamen pondere, durusque, colore naturali. Renes ſani, niſi quod paulo durior eorum ſuſtantia in diſſecando mihi viſa ſit.

Uterus in matre trium prolium, quarum ultimam ante triennium peperit, contractus adinſtar virginei. Tubæ Fallopianæ fimbriata extremitas cum ovario vicino in latere dextro fortiter cohæſit. Ovarium ipſum, verſus uteri latus, cum eodem membranoſis vinculis firmiter nectebatur. Ligamenta illius lateris ambo breviora, & quod rotundum apellant, altero conſimili lateris ſiniſtri, craſſius fuit. Diſſectis ovariis corpuſcula colore & conſiſtentia ſebacea, vel paulo ſolidiora comparuere. Ex inferiori margine oris uterini pendebant intra vaginam duo corpuſcula carnea, magnitudine fabæ Coffé transverſim diſſectæ. Eodem uterini oſculi margine, mediante pedunculo craſſiuſculo, albidoque, & quaſi tendineo hæcce corpuſcula rubra, quemadmodum, pyrus arbori, nectebantur.

Hi.

HISTORIA MORBI XXVIII.

Hydrops.

Ruſticus foſſor 33 annorum, ante 5 annos ex febre acuta æſtate ægrotavit; 5. ſeptimanis aſſiduo cubabat. A chirurgo curabatur ſuæ domi, antea & poſtea ſanus ſemper. Circa initium Maji 1778 mane evigilans, obſcurius videt; poſt biduum vertigo & temulentia accedit, manente eadem viſus obſcuritate. Laboribus ſuis tamen fungi poterat. Nil alieni in oculo ab inſpicientibus obſervabatur. Suaſu chirurgi fit venæ ſectio in pede ſiniſtro. Vulnuſculum phlebotomo inflictum ulcerari leniter incipit; pes, crus, femurque ſiniſtrum oedematoſe tumet, cum dolore urente. Color tumentium partium non mutabatur; nil levaminis a phlebotomia.

Menſe Junio & alterum crus, femurque tandem, & abdomen, brachia, totumque corpus tumet. Alvus ſub hoc morbo tarda valde, nec antea facilis. Appetitus ingens viguit.

Die 24 Junii ad nos venit. Anaſarca ubique, oris amaror levis. Salia; emeſis. Levamen ingens.

Poſt initium Julii totum femur & crus ſiniſtrum urente dolore dolet, dilutiſſimo eryſipelate rubet; ſitit. Multo cremore tartari alvus cum levamine mota eſt; rubor dolorque diſparuit; bene per unum alterumque diem habuit.

Nunc 15 Julii a ſex diebus magna oppreſſio & ſenſus mordens in medio thoracis, ſeu ſterni. Dolor dilacerans, quaſi rheumaticus per totum thoracem, ejusque bina latera, diffuſus ultra præcordia. Difficillima ſpiratio, & anguſtata. Decumbere in latus dextrum ob ſpirationis majorem difficultatem non poteſt; incumbit lateri ſolum ſiniſtro. Urinæ aquoſæ, frequentes, liberales; alvus facilis; ſed hæc omnia ſine levamine. A triduo glaciale frigus a meridie hora ſecunda experitur, etſi ad attactum caleat modo naturali. Sub ejus frigoris ſenſu plus ſolito mingere incipit; idque veſperi noctuque magis; ad auroram parcior urina fit. Pulſus tardi, naturales, non debiles; ſomni nulli. Facies modo magis, modo minus tumet; tumet ſubinde

ſcro-

ſcrotum; at totum omnino corpus ceteroquin tumet. Mane incipit ſitire, non autem a meridie. Juſſus eſt potiſſimam diei partem extra lectum tranſigere, ne aquis ad thoracem ob decubitum aſſiduum copioſius ruentibus, ſuffocetur.

Poſt ſalia & emeticum viſus rediit, bonus omnino, & talis perſtitit. Ab aliquot diebus indormiens repente evigilat, cum ſuffocationis metu, & ſupinus difficilius cubat, atque aliquantum antrorſum curvato corpore. Dolor acute pungens ad infimum latus thoracis dextri; in medio vero ſterno oppreſſio. Pulſus tardi, fortes; fortiores tamen majoresque in dextro carpo, quam ſiniſtro. Circa, 9. Julii moveri urinæ copioſe ceperunt; ſubinde deinde ſingultire, ac demum vomere bilioſiſſima vitellina, quaſi oleum. Sumſerat per eos dies ſquillam; vomitiones allevantes erant; nam alacer denuo factus, facie femoribusque detumeſcentibus, vires recuperare, dormire ſupinus, & in utrumque latus placidiſſime, integris noctibus.

Cum die 25 Julii mane, ita, uti deſcripſi, ſe haberet, a meridie, cum alvum deponeret, leipothymia corripi cepit, ſibique

que male eſſe aſſerens, decubuit, & paulo poſt moritur.

SECTIO.

Aperto thorace in ſingulo ejusdem cavo repertæ ſunt libræ ij. ſeri flaveſcentis, & urinam colore referentis.

Libræ quatuor aquæ in cavo abdominis. Perparum aquæ in pericardio. Ingens ventriculus.

HISTORIA MORBI XXIX.

Atreſia.

Die 20 Nov. 1778 puella, ſana ceteroquin, 17 annorum ad noſocomium venit, & ſequentia queritur.

Ab anno integro tumor elaſticus, per modum repletæ veſicæ ſuillæ, atque identidem major formatur, labia pudendi removet pauliſper, & oculis patet.

A tribus menſibus, omni menſe per quatuor dies integros, ingens lumborum dolor, qui evaneſcens denuo redit poſt menſem. A 5 ſeptimanis dolor continuus tenſivus in ipſo

ipſo tumore, qui antea non doluit. Tumor etiam a pube ad umbilicum ferme, magis a latere dextro, mobilisque, durus, & ad attactum dolens. Nullus ullibi in vaginam introitus. Uretra hians ob diſtractionem.

Tumor hic proſpiciens aliquantum extra labia, elaſticus, albicans, videbatur nobis hymen eſſe integer, & ſanguini menſtruo effluxum prohibens. Si tumor in abdomine prematur, tunc tumor pudendi tenditur magis. Tumoris alterius naturam nos non poteramus divinare, ſed putabamus, ubicunque is fuerit, eum tunc eſſe ortum ab eadem cauſſa, ſanguine ſcilicet menſtruo retento.

A tribus ſeptimanis tuſſis ſonora, ſicca; dolor rheumaticus humeri, & brachii ſiniſtri, & colli, & levicula horripilatio cum modica inappetentia.

Die 24. Nov. Membrana diſſecta eſt. Profluxit ſanguis non grumoſus, coloris obſolete rubri, ſpiſſior, ad libras quatuor. Mox tumor abdominis ſenſim diſparere cœpit. Vagina retro membranam diſſectam ampla. Os uteri altum, apertum, hians; uterus amplus, aſſurgens extra pelvim. Pa-

ries

ries uteri anterior concidens, & introrſum protuberans.

25. & 26. bene habuit.

27. Nov. Mane ardor in abdomine, horripilatio, ſitis, calor. Veſperi auctus totius abdominis ardor. Aqua, mel, acetum; mixtura ſalina. Pulſus febrilis. Dolor abdominis continuus, per vices gravior, immitis. Dolor maximus ibi eſt, ubi tumor abdominis, & uterus erat. Curavi mane aqua & lacte tepido uterum elui ſyringa, & exemi ægram e lecto, datumque enema eſt. Somnus nullus.

28. Nov. Dolores validi per totum abdomen, maxime circa uterum. Vomuit ſponte bilioſa, quaſi *αμοργην*. Emeticum. Vomuit multa, quaſi oleoſa, cum levamine magno. Nullus enim in epigaſtrio dolor, paucus, & per vices rediens, præcipue inter tuſſitandum in hypogaſtrio. Mixtura ſalina. Mox paulo mitior, attamen inſomnis.

29. Novemb. Abdomen totum tumet; dolor denuo recrudeſcit. Epigaſtrium inflatum, tumens, dolor continuus per vices exacerbatus cum ejulatu, præcipue inter tuſſiendum. Flatus, borborygmi, ructus ama-

amari, exigui ſubinde vomitus, iique porracei. Veſperi emeticum. Vomuit multa porracea cum aliquo levamine. Nox mitior, inſomnis. Dolor mitior, continuus tamen; attactum paulo rudiorem nondum tulit; hucusque pulſum celerem valde habuit, cum calore.

30. decoct. cort. libr; arc. dupl. dr. iij. (ad cohibendum affluxum; quædam reflexiones ab datum hic corticem.) Dolores hodie paulo mitiores, quam præteritis diebus. Febris. Veſperi ſponte multa porracea vomuit, magno cum levamine; rudiorem etiam attactum tulit.

1. Dec. Vomuit ſponte aliquoties porracea. Corticis decoctum. Minus doluit abdomen.

2. Dec. Vomuit ſponte amara, porracea Nocte ſequente octies ſponte dejecit. Dolor ut heri. Febris heri & hodie mitis. Interdiu decies dejecit alvum dyſentericam, id eſt, viridia ramenta, & torminoſe. Omni quadrihorio drachma una radicis arnicæ.

3. Nov. Pauca febris. Senſus ulcerationis in abdomine. Alvus ut heri ramentoſa, pauca, non frequens. Arnica.

4.

4. Major dolor abdominis, ejus tumor; Vomitiones frequentiſſimæ, porraceæ, cum aliquo levamine.

Die 5. alvus obſtructa. Salis amari dr. x. pro hauſtu. Vomitus æruginoſi, non levantes. Alvus nulla. Veſperi opium ex mixtura menthæ, caſt. liq. anod. Enemata ſine alvo.

Die 6. Mixtura eadem cum caſtoreo. Alvus nulla. Pauci dolores. Abdomen tympaniticum, tenſum. Nulli vomitus. Enemata ex hiera p. & aſa. Alvus 5.

Die 7. ſcutum ſtomachicum ex aſa, ol. nuc. moſch. eſs. caſt. liq. CC ſucc. & liq. anod. m. H. dejicit per enemata communia. Vomuit pauca, aquoſa. Abdomen tympaniticum, minus tamen; parum dolens ad attactum. Alias non dolens.

Ex quo nervina, opiata ſumpſit, viridia, aut biliosa non vomuit.

Die 8 & 9 alvus ſæpius ſponte. Die 9. Dec. cum ſacerdos illam externe vellet inungere, & ſacris expiare, idque importunius peteret, illa morituram ſe credens, exterrita cepit denuo dolere gravius, & porracea vomere, & æruginoſa, cum tamen poſt aſſumptum nuper opium rariſſime

vome-

vomeret, & potius ructaret, eaque ſolum juſculenta, aquoſa, aſſumpta, non autem amplius amara, & viridia.

Gravis error quorundam intempeſtive ſedulorum ſacerdotum, medicorum &c.

10. Dec. Alvus aliquoties aquoſa, ſpontanea; pauca aquoſa, mucoſa ructabat, pauca vomebat & raro, & non bilioſa. Abdomen turgens, non valde tenſum, attactum ferens etiam rudem. Melius abdomine habuit hodie, quam omnibus aliis diebus. Lingua ſemper bona, & tantum leviſſime albeſcens. Pulſus celerrimi. Sitis moderatior, & minor calor.

Die 10. circa meridiem moritur.

SECTIO.

Sectio die ſequenti facta eſt. Abdomen tenſum, diſtentum. Omentum craſſiſſimum, nigrum, profunde rubrum, omnia inteſtina contegens, intra pelvim deſcendens, & tubæ ſiniſtræ ac utero nexum, nexu facile ſolubili.

Materies purulenta, ichoroſa, ex albo vireſcens, ad duas menſuras, ſive libras VIII in cavo abdominis. Inteſtinum cœ-

cum, portio vicina coli nigra, inflammatiſſima, pars item recti; tenuia hinc inde ſubinflammata.

Veſicula fellea bile multa, mucoſa, & ferme ſolideſcente turgeſcens.

Ampla vagina, collum amplum uteri, uteri fundus naturalis, contractus. Utrumque dextrum ligamentum uteri curtiſſimum.

Nota: 1) Fuit prædiſpoſitio ad morbum bilioſum.

2) Terror & metus ab operatione dolorque introverterunt humores. Operandi ſoli ferme, absque tumultu, non videant inſtrumenta, & ſine viſibili apparatu.

3) Fuit præterea ſyſtema nerveum valide labefactatum.

4) Erat ergo 1. colica bilioſa. 2. dein ſpasmodica ſive hyſterica; tandem laxitas & tympanitis.

5) Cauſa erat etiam amiſſus tonus viſcerum abdominalium; tardior ſe- & excretio; major pravorum oggeſtio, retentioque excernendorum.

6) An inflammatio ſolum ſecundaria?

7) An tractio omenti ab utero retracto facta?

Hi-

Historia Morbi XXX.

Febris puerperarum.

Mulier bibula 32 annorum, ante tres ſeptimanas feliciter peperit, integra per totum graviditatis tempus ſanitate; primis etiam puerperii diebus bene ſe habuit.

Sexto vero a partu die, valido frigore per trihorium durante corripitur, calore atque ſudore ſubſequo. Vomituritio; abdomen per vices dolet. Sequentibus diebus frigus & calor per vices; alvus ſubinde diarrhœica.

22. Octobris accedit aliqua pectoris oppreſſio, & reſpiratio aliquantum difficilis, dolor lateris dextri leviter punctorius. Decubitus in latus ſiniſtrum impoſſibilis.

23. Oct. ad nos venit. Reſpiratio difficilis. Vomuit ſponte pauca, flavo - viridia. Abdomen non durum, nec tenſum; attamen rudiorem attactum non fert. Pulſus celer, plenus, ſubdurus. Sumpſit eo die ſalina, cum potu multo oxymellito.

24. Emeticum. Vomuit plurima flava, & quaſi oleum amurcoſum. Levamen dolorum abdominis, ſed exiguum, circa veſpe-

ram difficillima reſpiratio, cum metu ſuffocationis; pulſus plenus, durus. Venæ ſectio unc. v. Cruſta phlogiſtica, ſerum vireſcens. Nullum levamen. Orthopnœa per intervalla; putridiſſimorum ſapor, quaſi a putreſcentibus piſcibus, ut ajebat.

25. Mane eadem reſpirationis difficultas; abdomen paulo melius attactum ferens. Venæ ſectio unc. x. ſanguis phlogiſticus. Orthopnœa. Ad veſperas emeticum. Pauciſſima vomuit mucoſa, & parum bilioſa. Sapor putridiſſimus rejectorum. Sapor non emendatur; perſtat orthopnœa. Corpore antrorſum inclinato facilius reſpirat. Nox inter ſummos angores tranſacta. 26. mane circa unam moritur.

SECTIO.

Cavum thoracis ita anguſtum repieriebatur, ut uterque pulmonum lobus, margine ſuo inferiori interiorique tertiam coſtam veram, numero a ſuperioribus ducto, attingeret; diaphragmatis fornice intra thoracem eo usque aſcendente, & ab hepatis ingentis gibba parte illuc protruſo; hinc inde membranæ fictitiæ laciniis diaphragmati

mati nectebantur. Parum ſeri in cavo thoracis continebatur. Pulmones ceterum ſaniſſimi.

Diaphragma in utroque latere per tractum exiguum non diriſſime inflammatum, dextro tamen magis.

Aperto abdomine omnia inteſtina pſeudomembranis ad ſe invicem, & ad omnes contiguas partes nexa conſpiciebantur; illorum autem color videbatur aut ſanus aut a ſano vix differens, etenim paulo obſcurius albicabant.

Hepar magnæ molis, utrumque fere hypochondrium occupans, toti ventriculo incubuit.

Uterus ad trium circiter digitorum altitudinem extra pelvim prominebat.

In cavo abdominis magna ſeri phlogiſtici copia, minori tamen quantitate, ac in cavo thoracis effuſa deprehendebatur. Nulla ullibi in abdomine inflammatio.

Nota: 1) Morbus fuit evidenter a prava colluvie ortus, non differens ab illo aliarum puerperarum, ſed juxta inflammatio fuit, ob inflammantem materiæ vim in fœmina bibula, & tempore frigidiori ſiccoque.

2) Indicabatur & venæ ſectio, & emeticum; ſed ſerius uſa eſt utroque auxilio.

3) Unde tanta effuſæ phlogiſticæ materiæ copia (ea enim ingens fuit) nulla niſi exigua plaga diaphragmatis inflammata? Omnia, aut plura abdominis viſcera erant inflammata, quæ autem inflammatio effuſo intra abdomen ſero phlogiſtico ſubito ſolvebatur, ut criſis ſubita phlogoſeos facta fuerit, ſed in locum non ſuum effuſa materies critica.

4) Pulmones non erant *compreſſi*, utut intra anguſtum ſpatium concluderentur, erantque ad attactum *molles*. Præterea facilius ſedens, & antrorſum inclinato corpore reſpirabat. Ergo orthopnœa non a vitio pulmonum. At nec a diaphragmate, cujus major adhuc inflammatio orthopnœam in aliis non fecit. An ergo ex abdomine, & quomodo?

5) Periculum morborum complicatorum ex bile & inflammatione.

6) Mens ſana diaphragmate inflammato.

Hi-

Historia Morbi XXXI.

Hydrothorax.

Sutor 45 annorum appetitu ſemper voraci fuit, multaque comedere ſolebat ſemper. Alvus ſemper difficilis, per tres, quatuorve dies nulla. A 17 annis ter quaterve venæ ſectionem inſtituit, admonitus vertigine, & oppreſſione thoracis. A biennio utitur quavis ſeptimana infuſo foliorum ſennæ ob alvi difficultatem. Æſtate melius habuit, quam aliis anni partibus.

Ante annum ultima vice venam ſecuit. Præteriti anni æſtate ita bene habuit, ut perparum oppreſſionis ſenſerit. Poſt tres a paſchate ſeptimanas crura femoraque tumere cœperunt, absque thoracis levamine. Bis ex eo eo tempore ſal amarum ſumpſit; crura detumuere aliquantum, ſed mox iterum intumuerunt. Jam inde a pentecoſte crurum femorumque tumor paſtaceus augetur. Os a pentecoſte mucoſum, minor appetitus; reſpiratio ſibiloſa, laborioſa, anhelans, in levi corporis etiam motu. Noctu decubitus in latus ſiniſtrum ſemper difficillimus, ob majorem inde reſpirationis dif-

ficultatem, facilior in dorſum; ſitu horizontali cubare non poteſt, ſed erecto. Noctu ſæpius ſuffocationes repentinæ accedunt, ut erigere ſeſe debeat.

Odorem acerrimum acidumque a longe ſpirat. Pulſus inæquales, remittentes, intermittentes, accelerati, varia intenſione. Mixtura ſalina. Purgatur. Urina pauciſſima. Veſperi 4. Julii 1778. fere ſuffocatur. Eximitur e lecto. Venæ ſectio inſtituitur. Vomitio pituitoſa. Dolor magnus ad cardiam, difficillima reſpiratio; palpitatio cordis. Mane die 5 Julii repente moritur.

SECTIO.

In cavo thoracis dextro aquæ leviter flaveſcentis Lb. IV. In cavo autem ſiniſtro Lb. IV. In pericardio uncia vix una.

In ventriculis cerebri nil aquæ reperiebatur. Leve oedema meningis piæ. In latere cerebri ſiniſtro per totum meninx pia ſugillata comparebat.

In abdomine aquæ L. VI. Glandulæ magnæ, duræ, plures in conſpectum venerunt, ac ordinario. Inteſtina tenuia livida.

Hi-

HISTORIA MORBI XXXII.

Colica letalis ob anguſtata inteſtina.

Vidua 56 annorum, 4 prolium mater, jam ab aliquot annis dolore colico frequentius vexabatur; alvo diarrhæica facta dolor iterum ceſſabat. Nunquam tamen ex integro valebat; etenim flatibus, borborygmis, cardialgiæ obnoxia; laſſa, non-appetens. Juſculis ſolis uſa melius habuit. Levabatur a purgantibus. Fluore albo laborabat.

Ante 14 dies idem dolor rediit; acceſſit frigus cum calore alternans; amaror oris, alvus clauſa. Pridie, antequam ad nos venit, ſponte vomuitillioſa.

28. Oct. Abdomen tumidum tenſumque, per vices dolens, & attactus vel leviſſimi impatiens. Ultimis morbi diebus ſub hypochondrio dextro acutiſſimus dolor. Ab enemate applicato paucæ fæces prodierunt. 29. mane moritur.

SECTIO.

Omnia in thorace ſana.

Inciſo abdomine flatuum putridiſſimorum vis magna cum ſtrepitu prodiit.

Totum colon diſtentiſſimum; immani amplitudine, at fæcibus duris, copioſiſſimis grave. Portio ejusdem inteſtini aſcendens & deſcendens firmiter peritonæo cohæſit.

Cæcum ampliſſimum, ſtercoribus, & acerrima digitosque diſſecantis rodente profunde viridi materie plenum, & utero pone tubam ejusdem lateris firmiſſime nexum. Utrumque hoc inteſtinum cœcum & colon flaccidiſſima, diffluentia, fere nigricantia, hinc inde perforata.

Tenuia inteſtina hinc inde ſubinflammata; jejunum binis in locis anguſtum valde, quaſi membranis ejus in formam duri craſſique annuli induratis. Loca ejus inteſtini anguſtata cum peritonæo concreverunt arctiſſime.

Principium recti, quo in colon abit, firmiſſime pone tubam ſiniſtram cum utero cohæſit, eratque digiti longitudine ita an-

Hi-

guſtatum, membranis ejus velut incraſſatis, ut vix tenue ſpecillum canalis caperet.

Uterus craſſior, ac alias ſolet, & diſciſſus ac leniter preſſus quaſi lactis cremorem fudit. Tubæ utrinque breviſſimæ, emarcidæ, ovaria complexæ, firmiter cum iis nexæ. Ovaria ipſa magna, tuber ſolanum juſtæ magnitudinis utrinque referentia.

Nota 1) Sedes fluoris albi.

2) Os uteri, uterique ipſius cavum plenum muco; ſubſtantia diſſecti uteri albidiſſima; nihilque cruenti comparuit.

3) Quid contigiſſet, ſi uterus ita cohærens cum inteſtino recto fuiſſet gravidus factus? an forte fuiſſet retroflexio facta?

Historia Morbi XXXIII.

Scrophulæ.

Juvencula 18 annorum, menſtruam purgationem hucusque non experta, ab infantia fere omni anno tinæa laboravit. Ad pediculos enecandos pulverem ſeminum ſabadillæ ſolebat adhibere, unde ulcera exſiccata, cruſtis poſtmodum butyro illinitis deciduis. Ante ſex annos in parte capillata

ca-

capitis ſiniſtra abſceſſus oriebatur, magnitudine ovum gallinaceum æquans, qui opportuno tempore aperiebatur. Similis tumor ejusdem magnitudinis ante tres annos retro dextram aurem comparuit; at antequam ad maturitatem pervenerat, inciſio facta eſt; mox retro aurem ſiniſtram tumor oritur, appoſitis cineribus calidis diſſipatus.

Ante quatuor menſes in ſiniſtro colli latere, & in mamma dextra tumor apparet. Ob eam cauſam ante tres menſes in noſocomium ſuſcipitur. Tentata eſt reſolutio reſolventibus & aperientibus remediis; at fruſtra. Ad depuranda ulcera infuſum cicutæ injectum, & cataplasma ex cicuto applicatum. Tumorum dúrities per vices augetur & minuitur. Glandulæ inſuper maxillares, & ſubaxillares in dextro latere intumeſcunt. Nostalgia.

5. Oct. Oris amaror jam a longo tempore, cum doloribus capitis. Salis amari uncia j β. Die ſequenti ſequens remedium;

Rec. fol. cicut. manip. j.
Infunde cum L. ij. aq. fervo p. h. dein adde
Extract. cicut. gr. xjj.
M.

Quo-

Quotidie aucta doſis eſt, augmento granorum V.

11. Oct. Pergit cum dr. β. extract. cicutæ in infuſo L. ij. dein ſumpſit ſcrup. ij. extract.

19. Hodie ſumit Extract. cicut. grana LXVI. Ab aliquot jam diebus minor durities in mamma. Nullum prorſus incommodum ſentit a cicuta.

31. Oct. Mammæ tumor, uti & colli multo minor.

Circa 18. Nov. Datæ ſunt pilulæ ex mercurio dulci, extractio aconiti, & g. ammon. Ab aliquot diebus abitum flagitat, ſed abire prohibetur.

A die 24. Nov. moroſa fit, anxie tardeque reſpirat, taciturna eſt, fere continuo decumbit, cum antea totum diem extra lectum tranſegiſſet. Ab hocce fere tempore oculi rubent, dolentque; profunda, ſuſpirioſa, tarda reſpiratio; pulſus debilis citatiorque paulo; vires & appetitus dejecti; levis crurum tumor.

Circa primos Decembris dies omnia hæc ſymtomata augentur. Pus toto hoc tempore a 24 ſcilicet Nov. aquoſum, parcum

cum, albidum. Mammæ minor moles. Tandem die 7ma Decembr. moritur.

SECTIO.

Reſecto cranio meningum inflammatio, non maxima. Abſectis cerebri lamellis, puncta rubra, majora quam alias, crebrioraque viſebantur. Corticalis ſubſtantiæ color ſolito obſcurior. Choroides plexus inflammatiſſimi. Exigua ſeri portio in ventriculis lateralibus.

Tumor ſcrophuloſus, majorem nucem juglandem magnitudine æquans, diſſectus plura cava, materia puriformi, alba, cremonacea, non æquabili, ſed quæ liquidiores quasdam partes, alias vero paulo magis conſiſtentes habebat, repleta exhibuit.

Mamma ſiniſtra tribus, aliquo ſupra popillam ſpatio foraminibus pertuſa, & quarto alio infra eandem, nuper a chirurgis facto, cum examinaretur, vias cum quatuor hiſce foraminibus communicantes, & canales quaſi cartilagineos haud profunde ſitos oſtendit. Tubercula tria quatuorve nucem moſchatam minorem æquantia mammæ inerant, dura cum diſſecarentur, albida, &

quaſi

quaſi ex naſcente cartilagine facta. Pars mammæ ſubjecta ſaniſſima.

Aperto thorace pulmo uterque ſolito minus mollis, velut incipiente inflammatione correptus. In utroque thoracis cavo pauxillum ſeri, ſed paulo plus, quam plerumque ſolet, in pericardio.

Abdomen reſeratum exhibuit inteſtina omnia livida. In meſenterio glandulæ plures, ac ordinarie ſolent, in conſpectum prodivere, quarum quædam præter ordinem tumuere magis; diſſectæ nil alieni continebant, ſi unam alteramve prope pancreas ſitam, & multo omnium maximam excipias, quæ diſciſſa eandem puriformem materiam fudit, quam in glandula colli repereramus. Non paucæ in meſenterio maculæ, latiores, petechias referentes, rubræ ſcilicet, & quæ per medium ſectæ ſanguinem dilutum fundebant.[f]

Uterus, uti in nondum menſtruata, exiguus, atque in latus ſiniſtrum, orificio dextrorſum reſpiciente, ita incumbens, ut partis ſiniſtræ ligamentum utrumque dextris multo brevior fuerit, & latum uteri vinculum vix mediam ſocii in dextro latere poſiti longitudinem œquans; hinc non in

ſini-

ſiniſtram ſolum partem, ſed extrorſum magis, ac ordinarie ſolet, uterum fundus ſpectabat

Nota: 1) Noſtalgia diſponit ad graves & letales morbos. Exempla in militibus.

2) Dura mammæ tubercula procul dubio irreſolubilia fuere. An ergo invita natura reſolutio tentanda, continuanda, urgenda omni vi? At hæcce reſolventia reſiduam ſanitatem peſſumdant, & ægrum morti tradunt, quam removiſſet minus ſedula, & cautior medicina.

3) Sed & is tumor, qui in collo, itemque qui penes pancreas fuerat, omnem medicinam reſolventem luderem debebat.

4) En duas diverſas tumorum ſcrophuloſorum ſpecies, utramque viribus vel potentiſſimis reſolventium immorigera, en quoque nullum, ne in uno quidem homine ſolvens certum, atque effectus certos dari poſſe.

5) Meninges inflammatæ absque delirio, etſi moroſa, & ad ultimas vitæ horas mentis conſtans.

6) Livor inteſtinorum gangrænaque non ſine prægreſſa inflammatione, & ſi ſic,

an

an inflammatio ſine ejusdem ſignis. Talia certe non videramus.

7) Uterus ad latus alteruterum, vel & antrorſum ſpectans, paulo frequentior videtur, cum intra exiguum tempus mihi non adeo multas ſecanti, bis occurrerit.

Historia Morbi XXXIV.

Hydrothorax.

Fœmina 52 annorum, aliquot olim prolium mater, die 2. Julii in noſocomium venit, aitque ſe ſemper ſanam fuiſſe; a duobus diebus dedolatam eſſe, & minus appetere, febriculoſam eſſe. Crura, ſiniſtrum præcipue, oedematoſa vidi, aſſerebatque, jam a longo ſe tempore hoc crurum œdemate laborare. Os biliofum.

Sumit ſalina, ſolventia. At ſomnolenta evadit; crura detumeſcunt primo die, etſi nec alvus, nec urina moverentur ſolito plus; quin imo ſupprimerentur. Sumit emeticum. Pauca pituitoſa, bilioſa vomuit. Manet urinæ parca ſecretio, & alvus vix enemate ſolvenda. Somnolentia ingraveſcit.

Excitata aut interrogata apte, ſed moroſe reſpondet.

Die 8. Jul. Veſicans intra ſcapulas. Cum his diebus e lecto eximeretur, ut eſſet ſitu erecto, & ſedens, die 9. Junii non poterat erigi, eque lecto eximi; etenim toto corpore obrigeſcere, & tandem apoplexia tentari cœpit. Nulla ullius artus ſyderatio; at inopia mentis, & ſtatus apoplecticus. Venæ ſectio ſine levamine; reſpiratio ſemper, uti & pulſus, naturalis, aut certe a naturali vix diverſus. Tandem purgans, & denuo duo veſicantia. Augentur omnia; & die 10 Junii moritur.

SECTIO.

Ablata calvaria vidimus in oſſis bregmatis ſiniſtri poſteriori ſuperiorique angulo quaſi quandam internæ tabulæ rotundam, hujatis cruciferi magnitudine, protuberantiam, ac ſi os olim ibi fractum introrſum eſſet, & ita intropreſſum coaluiſſet. In tabula externa & extima ejus oſſis facie nil quidem erat intropreſſum, at inæqualitas quaſi cujusdam olim ibi loci fracturæ coadunatæ.

Ibi

Ibi loci dura meninx arcte cohæſit, & tumorem folliculoſum inſtar magnæ juglandis, ſubſtantiæ ſteatomatoſæ habuit, qui cerebrum depreſſit, foveamque fecit. Nil ulcerati ullibi. Arachnoidea & pia mater oedematoſa fuere. Intra anfractus pia meninx demerſa habuit vaſa quaſi ſugillata, a tenui ſeroſoque ſanguine ſuffuſo. In ſingulo laterali ventriculo aquæ circiter uncia fuit. In occipite, & circa cerebellum ac medullam oblongam ſeri multum flaveſcentis, circiter unciæ tres, quatuorve.

In cavo thoracis ſingulo unciæ quatuor aut quinque, vix aliquid intra pericardium.

Ren ſiniſter binos pelves ab ſe denſo carneo pariete ſejunctas habuit, binosque ureteres, qui tamen paulo ante ingreſſum in veſicam jungebantur in unum.

Nota: 1) Steatoma videtur eſſe antiquum malum, fors ab illata olim injuria.

2) Nocet decubitus continuus in tumore crurum œdematoſo, aquæ enim ad pectus, ad caput recurrunt.

3) Unde anfractuum meninx ſugillata? an a morbo ipſomet ſanguineum circuitum ſtrangulante? an vero a veſicantibus?

4) Pulſus erant toto tempore naturales, aut paulo elatiores, fortioresque. Indolentia. Tumorum in crure utroque evaneſcentia fere intra unicam noctem, absque alio levamine, quin potius cum urinarum & alvi ſuppreſſione.

Historia Morbi XXXV.

Hæmoptoe a colluvie bilioſa.

Sartor 32 annorum ſicco & ſtrigoſo corpore præditus, aliquot jam abhinc annis catarrho per vices vexatur, ſputis puriformibus prodeuntibus; alvus ſæpe conſtipata.

26. Oct. 1778. de oris amarore, & frequenti atque moleſta tuſſi queritur. Noctu ſanguinem ſputat ad integram libram fere. Nulla interim pectoris oppreſſio, nec ullus dolor; in utrumque latus facilis decubitus. Frigus calorque per vices. Noctu multa inquies. Alvus nulla.

27. Oct. Febricula. Tuſſis rarior; ſputa ſanguine ſtriata. Noctu binis vicibus eandem ſanguinis copiam tuſſiendo rejecit.

28. Oct. mane ad nos venit. Cum longius abeſſet a noſocomio, in via ſæpius ſanguinem ſat larga copia ſputavit. Cephalalgia, appetitus proſtratus; pulſus modice celerior, non durus. Tuſſis & ſputa crocea. Abdomen tenſum; alvus nulla. Tempore antemeridiano Lb. 1 β ferme ſanguinis ſputavit. Applicato autem enemate, & dato remedio purgante ſputum cruentum ſiſtebatur, & febris mitior reddebatur, alvo ſcilicet mota, & per noctem etiam fluente.

29. Oct. os minus amarum; lingua ſordida; tuſſis rara, ſputa pauca. A meridie emeticum. Vomuit multa pituitoſa, amara. Nil ſanguinis rejectum. Noctu ſomnus..

30. Oct. Idem fere morbi ſtatus, at ſputa modico ſanguine ſtriata.

31. Oct. Alvus per noctem nulla. Mane ſanguinem ſputavit, copia haud magna. Lingua impurior. Febris major. Clyſtère injecto alvus bis copioſe mota. Nulla per diem ſputa cruenta; febris vix ulla.

1. Nov. Sputa pauca, ſanguine ſtriata. Emeticum. Vomuit multam pituitam bile commixtam. Nil ſanguinis neque ſub emeſi, neque ea peracta, rejectum. Alvus 12es mota. Noctu aliqua febris exacerbatio.

2. Nov. Tuſſis rarior; ſputa absque ſtriis ſanguineis. Alvus quinquies mota. Veſperi friget, calet, ſudat. Cremor tartari cum rheo.

3 — 11 Nov. Alvus ſæpius per diem mota. Nullum ſanguinis ſputum. Ob intermittentis paroxysmum omni veſpera redeuntem datus cortex. 10. veſperi levis tantum febris acceſſio.

12. Vix febricula. Sequentibus diebus bene habuit, apyretos ſemper, & appetens; per cubiculum obambulabat.

Die 18. Nov. cum cibum prima vice largiorem eo die ſumeret, & corticis tantum drachmas quatuor per viginti quatuor horas acciperet, veſperi calor, præcedente leviculo horrore, accedit, mox ſputum cruentum ad Lb. β. circiter, cum tuſſi non valida, ſine ullo incommodo thoracis, ſine dolore, ardore &c. Facilis omnino decubitus. Mox ea veſpera enema.

Die 19. Nov. mane oris amaror; nullus amplius ſanguis in ſputis. Emeticum. Vomuit amaram pituitam, non multam, cum levamine. Mox omni bihorio cort. peruv. Veſperi modicus calor. Reconvaleſcere

poſt-

poſtmodum viſus eſt ſub uſu corticis. Obambulavit, appetiit.

At 2. Dec. veſperi calere cepit, ſudare dein, non prægreſſo horrore. Rediit omni veſpera calor ſine horrore, & noctu ſudor.

6. Dec. ad exacerbationem veſpertinam acceſſit cubandi difficultas in dorſum; major facilitas in utrumque latus, ſpirandi difficultas tanta erat die 9 & 10. Dec. ut fere non niſi diu noctuque ſedens reſpiraret. Difficilior fieri decubitus cepit in dorſum, ita, ut ob magnam preſſionem a ſcrobiculo ad medium usque thoracem in ſitu ſupino exantlandum, cubare in dorſum nequiverit, ſed ſedendo laborioſe, & elatis multum ſcapulis ſpiritum traheret. Sputa hucusque ſemper pauca, tenacia.

Die 10. Dec. perſtante orthopnœa non rediit calor veſpertinus. Pulſus per hos dies celeres admodum, & contracti.

Die 13. Dec. mortuus eſt.

SECTIO.

In pericardio ſeri modice flaveſcentis Libra dimidia inventa eſt.

Pulmones magni, duri & carnoſi, tuberculis miliformibus, lenticularibus, etiam majoribus per totum ſcatentes. Color tuberculorum albus, quaſi cartilagineorum plerorumque, & livido-nigricans, quaſi grumulorum ſanguineorum. Ramulorum bronchialium reſecti fines multo duriores ac alias, & cartilaginei aut ſemioſſificati. Supremæ pulmonum portiones præ reliquis duræ. Pondus pulmonum, reſecto corde, fuit librarum civicarum quatuor, demtis quatuor lotonibus. Nulla ullibi ulceratio.

In abdomine exiguum, vix tres transverſos digitos longum omentum, idque contractum ad colon transverſum. Color omnium inteſtinorum modice liveſcens, obſcurus; glandulæ meſenterii plures in conſpectum venere, & ſolito majores. Sub hepate anguſtatio inteſtini coli in ipſo angulo. Portio coli per ſiniſtrum latus deſcendens anguſtiſſima, quaſi in formam funiculi.

Nota: 1) Error diætæ lautioris, & minor doſis corticis recrudeſcere febrim, & hæmoptoen fecerunt.

2) Libertas alvi ſit, ea enim ſublata tuſſis illa ſtomachica & viſceralis recrudeſcit, hæc

hæc recrudeſcens laxos & hiantes pulmones quatit, & ſanguinem excutit.

3) Sputi ſanguinei recrudeſcentia hinc ſæpe obſervatur, at, modo continuo parcior id ſit, ſpes eſt convaleſcentiæ. Etenim probabile non eſt, id non recrudeſcere ſubinde ſub cura, cum laxiſſimi pulmones cito roborari nequeant.

4) An aquæ in thorace effuſæ 1. ob laxitatem illius viſceris, 2. ob nodoſos pulmones, unde ſerum intra cavum exprimitur, 3. ob metaſtaſin factam ab ipſa febre æſtiva autumnali, metaſtaſes amante? An hæc tubercula livida fuere varices exigui?

Historia Morbi XXXVI.

Hydrops thoracis.

Sutor 26 annorum ab elapſo paſchate de inappetentia & ore pituitoſo queritur. Febris per vices; erecto corpore laboribus fungitur. Venam ſecari curavit, absque levamine. Sumpto purgante remedio 20es dejecit, cum inſigni virium ruina. Ab eo tempore calor aſſiduus, noctu præſertim

auctus, urensque. In lecto decumbere coactus.

A tribus circiter ſeptimanis pedes, crura, ſemoraque, ſcrotum atque ſenſim abdomen intumuere; reſpiratione per vices valde moleſta; repentina ſubinde evigilatio cum metu ſuffocationis.

Die 1ma Junii ad nos venit. Cephalalgia, os mucoſum; febris mitior; univerſim pituitoſus corporis habitus. Data ſunt ſolventia; dein emeticum, ſubſecuto per aliquot dies levamine.

Quotidie circa quartam pomeridianam intendi calor incepit, noctu inſignis, & ſub auroram denuo miteſcens. Pulſus celeres, inæquales, non debiles. Facies, loca præcipue infra oculos multum tumebant; manuum vix ullus tumor. Sudores veſperi noctuque in magnas guttas collecti, & ex capite ubertim manantes.

SECTIO.

In cavo thoracis dextro ſeri flaveſcentis menſura fere una. In pericardio unciæ quinque. In cavo ſiniſtro thoracis nil erat repertum.

Pul-

Pulmo ſiniſter longis, latisque & validis compluribus vinculis erat ad pleuram religatus.

In abdomine menſura i β. aquæ. Glandulæ plures ſolito, & majores, ac molles comparebant. Sana cetera. Omenti & inteſtinorum livor.

Nota. Toto tempore non niſi lævo lateri incumbere potuit. Suffocationes nocturnæ, evigilationes repentinæ e ſomno.

Historia Morbi XXXVII.

Abſceſſus pericardii poſt lapſum.

Lignarius 20 annorum, aſſeres capite geſtans, cum ſuper glaciem incederet, gliſcente pede concidit. Surgit tamen, atque onus ad locum, quorſum debuerat, deportat. Domum redux ſub medio ſterno oppreſſionem ſentit, cum reſpiratione difficili, & tuſſi ſicca. Nullus tamen vel in ſterno, vel ad latera, vel ab attactu externo doloris ſenſus; neque ulla externa pectoris læſio conſpiciebatur. Ad labores itaque priſtinos iterum rediit. Quatuordecim autem a lapſu diebus, cum oppreſſio de die in

diem

diem augeretur, die 25 Febr. ad nos venit.

Valida oppreſſio pectoris ſub medio ſterno; pulſus celer, plenus, durus. Venae ſectio unciarum XII. Cruſta phlogiſtica. A meridie & nocte ſubſequa levamen.

26. Febr. Oppreſſio iterum augetur. Venae ſectio repetitur; cruſta. Magnum inde iterum levamen, prodeuntibus ſputis puriformibus.

27. De nullo oppreſſionis ſenſu conqueritur. A meridie oppreſſio iterum plurimum aucta. Pulſus celer, debilis. Alvus a mixtura ſalina ſexies poſita. Veſicantia ad ſuras; pauxillum camphorae. Nox absque ullo mali levamine tranſacta.

28 Febr. pulſibus ſenſim evaneſcentibus, & reſpiratione difficiliori facta moritur.

SECTIO.

Aperto thorace pericardium pure tenui repletum erat. Cor flaccidum, & in extima ſua ſuperficie cruſta tenui, albida tectum, ipſa vero ejus ſuperficies hinc inde rubebat. Pericardium, qua parte vaſa ex

corde

corde exeuntia amplectitur, craſſum digiti ferme craſſitie, & in eo penes aortam abſceſſus, majorem nucem juglandem capiens, quive intra pericardium ruptus, pus ſuum effudit. Reliqua omnia ſana.

Nota: Diſtento licet pericardio nihilominus capite humili cubare poterat.

Historia Morbi XXXVIII.

Mors apoplectica.

Operarius 26 annorum a longo jam tempore ſanus, ante 5. ſeptimanas frigore corripitur, quotidie incerta hora redeunte. Laſſitudo, dolor capitis gravativus, vomiturітiones, os amarum, ſitis, inappetentia, ſomni turbati. A quatuor ſeptimanis jam non amplius conſuetos labores peragit, ſed continuo decumbit. Alvus per intervalla diarrhæica.

Ad nos delatus 25. Nov. queritur de capitis gravitate, vomituritionibus, oris ſapore pravo.

Lingua mucoſa. Reſpiratio non multum difficilis, tuſſicula, hypochondria tenſa, inflata; pedes, cura, & antibrachia tument

ment tumore paſtaceo, œdematoſo. Urina ſat facilis, & potui, ut videtur, reſpondens. Nil medicamentorum hucusque aſſumpſit toto, quo domi decubuit, tempore. Cum hordei decocto, oxymelle, item muria ſaturata ſalis ammoniaci uteretur, melius per omnia habere cœpit; reſpiratio bona, hypochondria mollia.

At die 27 reſpiratio difficilior, paroxysmus diutius durabat, atque validior. Hinc die ſequenti cortex peruvianus una cum ſale ammoniaco datus eſt. Vomuit bis ſponte eo die. Symptomata eadem.

Die 19. eadem ut heri. Accedit ſomnolentia. Lingua nigra, ſicca, quaſi malicario contecta. Sitis multa. Pulſus debilior heſterno. Paroxyſmus, qui veſperi alias redibat, per aliquot dies in noctem incidit, & quotidie ſerius affligebat.

30. Eadem. Major ſomnolentia.

Die 1. Dec. mane circa decimam ſtertoroſus fit, pulſus vix perceptibiles, frigus extremorum, & veſperi mors.

SEC-

SECTIO.

Corpus, crura præcipue & brachia tumidula, paſtacea, œdematoſa.

Secto cranio inventa copioſa aqua inter utramque meningem. Vaſa, minimique eorum ramuli ſanguine læte rubente turgida, more inflammatorio. Ruberrimi plexus choroïdei. Pauculum ſeri in ventriculis, & circa initium medullæ ſpinalis.

Cranii ea conformatio, ut brevis ſupra modum ejusmodi diameter fuerit ab uno temporum oſſe ad alterum. Sinus frontales ampli, atque multo altius locati, ac ordinario ſolent, unde, uti etiam ob exiguum os frontis, factum eſt, ut lobi anteriores cerebri exigui fuerint.

In vertice capitis meninx pia hinc inde craſſior, & quaſi aponeurotica.

Pulmones ſani; & in utroque thoracis cavo paucæ ſeri unciæ.

In pericardio unciæ ſex ſeptemve ſeri flavi. Cum forte levi vulnuſculo perſtrictam afferrem manum, eaque ſero intra cranium collecto madefieret, dolorem in loco vulnerato ſenſi non exiguum, acrimoniæ in ſero latentis non ambiguum teſtem.

Diſ-

Diſſecto abdomine omentum ruberrimum, & maxime inflammatum. Ventriculus, inteſtina hinc inde maculis, & vibicibus obſcure rubentibus affecta. Meſenterium vero totum colorem luridum, ex obſoleta rubedine, & profunda flavedine mixtum exhibuit.

Hepar ſolito durius, & obſcure flaveſcens. Bilis multa, ex flavo atra, glutinoſiſſima craſſaque.

Lien valde magnus, conſueto durior ad attactum, & ad os ilei usque ferme pertingens. Aliqua ſeri quantitas intra abdomen.

Nota. 1) Queritur, an hæc apoplexia *ſeroſa* fuerit, an *inflammatoria*, cum & ſerum, & inflammatio fuerit reperta? An fors repentina ſeri depoſitio facta ad cerebrum, inde preſſio, & ſanguinis circulus ſublatus, ac vaſa non *vere inflammata*, ſed ſolum ſanguine turgida? diſcrimen enim eſt inter infarctum ſanguinis *ſimplicem*, & *inflammatorium*. Vel an inflammatio erat, eaque ab acri, vellicanteque ſero orta.

2) Omentum ruberrimum, inflammatumque in corpore œdematoſo, paſtaceo, frigido.

3)

3) An venæ ſectionibus, ſi cognita hujus partis inflammatio fuiſſet, & methodo antiphlogiſtica curari, an alia ratione debuiſſet.

4) An nulla inflammatio antiſepticis, roborantibus, ſtimulantibus, ut ſanetur, indiget.

5) Bilis craſſa, roob ſambuci referens, aquoſam humorum diatheſin, & febrim generaſſe videtur.

6) Aquam intra pericardium collectam frequenter reperi in apoplecticis.

Historia Morbi XXXIX.

Hydrops thoracis.

Vidua 65 annorum, ſemper antea ſana, nec ullis gravioribus per vitam morbis conflictata 9 prolium mater fuit, & tres alienas ſuo lacte, qua nutrix alebat. Ante decem ſeptimanas inter incedendum difficilem ſibi ſpiritum fieri querebatur; atque etiam noctu inter dormiendum, circa mediam præprimis noctem, ſubito evigilat, utpote excuſſo ſomno ob repentinam reſpi-

rationis difficultatem. Erecto corpore, & quieta, nil incommodi ſenſit.

Exactis hac ratione quatuor ſeptimanis ſupervenit catarrhoſa affectio, tuſſis, ſputaque glutinoſa. Difficilis ſpiritus non inter ambulandum modo, ſed etiam quieſcenti fit. Nocturna incommoda & graviora, & frequentiora.

Poſt quatuor denuo ſeptimanas tuſſis ſiluit, ſputa nulla, ſed ſpiratio magis laborioſa, & omnem cubandi facultatem adimens, ita, ut dies noctesque ſedendo tranſigeret, quodſi dormire incipiat, ſive interdiu id fiat, ſive noctu, ſubito evigilat, paroxysmo aſthmatico excitata; idem ipſi in motu corporis contingit. Pulſus plenus, durus, rigeſcenti quaſi arteria; ictus cordis amplus, validus, coſtasque percutiens.

Poſt quatuordecim dies, ex quo tuſſis & ſputa emanſerunt, ad nos delata eſt die 11. Martii, 1778. Hucusque narrata retulit, addiditque, crura ſibi jam ſex fere diebus tumuere.

Die 12. Alvum quinquies poſuit. Sumſit mixturam ex aqua petroſelini, oxym. colch. terr. fol. tart. Veſperi cum decumbe-

beret, ſtatim evigilat, quaſi jam ſuffocanda; pulſus frequens, celeritate varia, durus. Reſpiratio laborioſiſſima. Facta eſt venæ ſectio unciarum v. Inde reſpiratio paulo melior.

At altero die eadem difficultas ſpirandi; paroxysmi aſthmatici frequenter redierunt, licet etiam extra paroxysmum difficilis ſemper ſpiratio eſſet. Alvus aliquoties mota, pulſus ut pridie. A meridie urgente difficillima reſpiratione unciæ quatuor ſanguinis detractæ levamen tulerunt. Omiſſo omni diuretico medicamento alvus quievit.

Die 14. & 15. Martii dolor ad coſtas ſpurias infimas lateris dextri. Hucusque nulla tuſſis. Crura valde tument.

13. Martii decumbere nulla ratione poteſt. Pulſus durus, varia celeritate, remittens, intermittens. Conſtrictionis circa thoracem ſenſus. Dolor hypochondrii dextri. Dum adhuc decumbere potuit, in neutrum latus, ſed ſolumodo in dorſum cubare voluit.

20. Martii tota nocte dormivit absque ſuffocationis periculo. Ingens crurum tumor.

21. Martii denuo rediit ſpirandi difficultas major.

22. Difficillima reſpiratio. Pulſus fortis, durus, remittens, intermittens, varia celeritate; minor crurum tumor. Heri & hodie ſicca & frequens tuſſis.

Die 23. Dolor ad coſtas ſpurias dextras. Tuſſis ſicca, frequens; reſpiratio modice ſubinde ſtrepens; ſenſus compreſſionis & conſtrictionis circa medium ſterni. Crura hodie magis tument. Reſpiratio melior paulo, quam heri. Frigus marmoreum fere artuum inferiorum. Pulſus vibrati, uti fere ſemper, varia celeritate, majori tamen quam naturaliter ſoleant eſſe.

Die 24. Nox fere inſomnis, ſymptomata pectoris graviora, etſi crurum tumor multum hac nocte increverit. Pulſus omni modo inæqualis, admodum celer, & ad debilem acceſſurus. Tuſſis ſicca; frequens valde reſpiratio, ſtrepens, cita, laborioſa. Facies liveſcens.

25. Mart. Nox inſomnis ſedendo peracta. Eadem ut heri. Cum veſperi ferme ſuffocaretur, detractæ ſunt unciæ v ſanguinis. Reſpiratio multo melior.

Die 26. veſperi mortua.

SEC-

SECTIO.

Recluſo thorace inventæ ſunt unciæ ſedecim ſeri flaveſcentis in cavo dextro; in ſiniſtro autem libra ejusdem ſeri. In pericardio vix uncia dimidia aquæ reperta. Cor vero multo majus, ac plerumque ſoleat, craſſitie parietum ventriculos conſtituentium ejusdem magnitudini proportionata. Sani pulmones.

Hepar durum, ſuperficie inæquali, ſub cultro ſtridens, & quaſi coctum, colore naturali, ac ultra coſtas infimas adeo prominens, ut inteſtinum cœcum cavæ ejus ſuperficiei contiguum eſſet. Lobus ſiniſter locum ventriculi occupabat, eodem ſiniſtrorſum truſo, ita, ut ſi ventriculum velles, hepar tangeres. Colon aſcendens nullum, ſed qua ex cœco naſcitur, deorſum atque infra umbilicum per varios anfractus procurrens, ad ſiniſtrum hypochondrium tendebat, amplitudinis inæqualis, & quosdam hinc inde ſaccos flatu diſtentos formans. Quæ ex lævo hypochondrio deſcendit coli portio, anguſta admodum, & in funiculi ſpeciem contracta. Splen exi-

 guus

guus duriorque. Veſicula bile tenui, croceaque turgens.

Nota. Ægra hæc humili capite decumbere non poteſt, ſed pectore & cervice ſedentis ferme in modum ſuffulta. Brachium nullum tumet, non adſunt animi defectiones, nec dolor ventriculi. An dolor ſub coſtis ſpuriis eſt ab hepate depreſſo ob aquas ibi copioſiores?

HISTORIA MORBI XL.

Pleuroperipneumonia.

Scriniarius 27 annorum ſex fere annorum ſpatio famulum agit. Ante quatuor annos æſtuans gelidam hauſit; inde tuſſis per vices infeſtans, & ſputa glutinoſa. 2. April 1778 tuſſis ſolito magis moleſta, friguit doluitque per vices. Acceſſit dolor punctorius ad infimas coſtas ſpurias, poſt aliquot dies absque ſymptomatum levamine evaneſcens. Ter vomuit ſponte multa amara. Abdomen toto morbi tempore tumidum; ſapor amarus; lingua glutinoſa primo, dein arida, ſcabra. Alvus ſemper facilis, ſubinde frequens, aquoſa, mucoſa.

Exan-

Exanthema miliare album per abdomen & ſumma femora. Factis plurimis largisque ſanguinis detractionibus, pulſus ſemper idem perſtitit, videlicet celer, fortis duruſque ad vitæ finem usque. Cruſta phlogiſtica latum pollicem craſſa. Reſpiratio cita, fervens; ſputa nulla. 10. April. veſperi mentis compos moritur.

SECTIO.

Recluſus thorax exhibuit pulmonem dextrum inflammatiſſimum ex toto, ſub cultro ſtridentem, & multis hinc inde vinculis membranaceis paulo longioribus, attamen firmis ad pleuram religatum. Concava ejusdem pulmonis facies cum ſubjecto diaphragmate ita coaluit, ut alterum ab altero abſque alterutrius læſione haud ſeparares. Moles inflammati hujus pulmonis tanta erat, ut cavo ſuo contineri nequiret, ſed preſſo ſiniſtrorſum mediaſtino pulmonem ſocium, cetera ſaniſſimum, intra arctum ſpatium compingeret. Pleura utroque in latere ſana. Pulmo uterque in ſtatera pendebat libras quatuor cum 7 lotonibus ponderis civilis; lobus vero inflammatus, re-

ſecto ſano, ſolus pondere æquabat libras 3 & duodecim lotones.

In abdomine omentum & inteſtina colore naturali. Hepar, pluribus in locis, ac ordinario ſolet, membranoſis vinculis concavæ diaphragmatis parti accretum. Lobus ſiniſter regionem ventriculi & hypochondrium ſiniſtrum replevit. Pauca bilis in veſicula fellea: meſenterii vaſa ſolito magis conſpicua. Veſica urinaria valde contracta, craſſisque parietibus donata, faciem internam rugoſam, coloris tamen ſani habuit.

Nota: 1) Id artificum genus, qui fabricandis ex ligno tabulis ciſtisque occupantur, præ aliis pulmonum diſpoſitione laborare frequentius obſervavi.

Etſi vero æger noſter jam a ſexennio huic opificio valedixerat, a phlogiſtica hac pulmonum diatheſi ad illud usque tempus fortaſſe immunis, ea tamen ab ultimo vitæ quadriennio carere neutiquam videbatur, ex quo concalefacto nimium corpore frigidam ingurgitavit. Neque rarum eſt videre hos ex gelido potu *catarrhos*, ut arbitrantur, per annos vexatos, & tandem tabidos. Verius latentem pleuritidem veram eamque chronicam appellarent. Diſcrimen non intra

tra ſola vocabula conſiſtit. Alia ratione ſimplici medicamentum catarrho eſt, atque itidem alia veræ pleuritidi. Hæc utut latens & chronica, nulloque aut vix obſervando ſanguinis febrili ſtipata motu ſit, nihilominus miſſiones ſanguinis frequentiores potius, quam largiores, & emollientia poſcit, cum ejusdem proſapiæ cum illa ſit, quæ & validius adoritur ægros, & cito decurrit.

Illud hic addo, me aliquoties ex potu gelidæ æſtuante corpore hauſtæ, non inflammari pulmones, ſed ventriculum gravari ſubito colluvie aquoſa bilioſaque, ructus amaros, ſpontaneosque ſubinde bilis vomitus ſuccedere, & emetico, aut emeto-catahrſi ægrum indigere.

2) Pleuritidis in peripneumoniam tranſitum plerumque letalem, nollem ego a metaſtaſi materiæ ex pleura, quam toties in cadaveribus pleuriticorum illæſam deprehendimus, ad pulmones facta, ſed potius ab eo inflammationis augmento repetere, quo ſocius pulmo adeo comprimitur, ut is alterius laborantis officio interea fungi ob compreſſionem non poſſit. Hinc difficillima ſanguinis per utrumque pulmonem circuitio

ejusdem ab encephalo reditum retardat, quod ab aggeſtis humoribus preſſum neutiquam utique doloris punctorii cauſam, attamen ejusdem ſenſum aufert.

3) Morbum malignum cum & ſine exanthemate hoc anni tempore aliquoties cum inflammatorio complicatum vidi. Sed ea phlogoſis paucorum plerumque dierum fuit, parvaque, & paucis unciis ſanguinis detractis difflata. Quod hæc in ægro hoc tanta fuerit, id etiam ſola hominem enecaſſet, id procul dubio præviæ pulmonum diatheſi debebatur.

4) Morbus hepatis, qua id ſcrobiculo ſubjacebat, pro cardialgiæ quadam ſpecie decipere potuiſſet, & hepatitidem in hypochondrio ſiniſtro ſitam eſſe.

HISTORIA MORBI XLI.

Febris maligna.

17 Annorum coqua, durum & laborioſiſſimum ſervitum ſerviens, ægrotanti hero & domicellæ (uterque maligno morbo moriebatur) inſervivit.

Die

Die 8. Dec. 1777 inappetentiam, ca-
ores, horripilationibus interpolatos, ama-
orem oris, dedolationem queritur. Sumit
inc. 1 β ſalis amari. Multum purgabatur;
perſtat diarrhæa.

Die morbi decimo ad nos venit ad
meridiem. Videbatur exacerbari. Sæpius
gravis & profuſa diarrhæa adfuit; præcipue
ultimis diebus. Lingua humida, pura; nul-
libi dolor. Pulſus ſemper non multum na-
turali celerior, & vegetus. Color naturali
major, temulentia magna.

Ultimis diebus tribus ſicceſcere cor-
rugarique lingua cœpit. Binis ante mortem
diebus tendinum leviſſimus ſubſultus, &
leviſſimi brachiorum crurumque motus con-
vulſivici; ſurdaſtra. Toto tempore non de-
liravit. Noctes erant cum ſomno, ſed in-
ter dormiendum loquebatur.

Ultimo die neminem agnovit, aut vix
quidem. Deglutit ægerrime. Pulſus cre-
berrimi, ſed vegeti ſatis.

Die prima Januarii 1778 circa meri-
diem moritur.

SEC-

SECTIO.

Pulmo dexter membraneis vinculis alligabatur ad pleuram.

Pulmonis utriusque portio dorſum reſpiciens erat craſſior, ſanguine multo turgidus, aut vix eminebat ſupra aquæ ſuperficiem, cui injiciebatur. Non erat tamen pulmo ibi durus, aut vere inflammatus.

Ventriculus prægrandis, cujus pars proxime ad pylorum infra umbilicum deſcendebat.

Omentum coloris non ſani, obſolete flavi, hinc inde ſubinflammati; vaſis multis turgidis atro ſanguine pictum, deſcendens intra pelvim.

Hepar flavicantis ſubſtantiæ, & multo flaccidioris, ac in ſanis ſolet. Veſicula bile multa flavidaque, & flavicante repleta.

Lien major, quam ordinarie ſoleat, at friabiliſſimus, idque magis quam alias.

Inteſtinum ileon, ubi coeco inſeritur, exiguo tractu inflammatum, vaſis ſanguiferis a meſenterio euntibus, & amplectentibus inteſtina, atro ſanguine turgidis. Reliquum ileon & jejunum hinc inde leviter inflammatum, inflammata quoque meſenterii

terii ora compleƈtens inteſtina tenuia. Flaccidiores renes.

Uterus inclinatus dextrorſum ob breviſſima illius lateris ligamenta. Tubæ utriusque extrema fimbria ex rubro nigreſcens, & inflammata.

Ovarium dextrum duo ovula, ſeu duos ſacculos, ciceris unum, alterum lentis magnitudine habuit, atro ſanguine quaſi extravaſato plenos. Utrumque ovarium valde flaccidum.

Cavum uteri admodum exiguum, uti in vix nubili puella; os vero uteri tumidius ſolito, & ex atro liveſcens.

Nota: 1) Semel ob paulo impeditiorem reſpirationem & tuſſiculam, pulſusque vegetiores, ſanguinis unciæ V fuere detraƈtæ. Reſpiratio emendabatur aliquantum, attamen non erat omnimode expedita.

2) Sanguis hic miſſus debite conſiſtens craſſamentum habuit, & cruſtam non tenacem, non denſam, & cinerei, ſubliveſcentis coloris.

3) Poſtquam ad nos venerat, levem narium hæmorrhagiam patiebatur.

4) En pulſum nulla ratione unquam debilem, & tamen flaccida viſcera

5) Pulſui maxime confidebam non de jecto, ſed fallebar.

6) Uſa eſt cortice, & arnica, & ſpiritu vitrioli.

7) Peſſime, & plerumque letaliter ægrotant, qui poſtquam ægris inſervierunt, in febrem malignam incidunt, non ob contagium, ſed ob cauſſas manifeſtas.

8) Moeror, indignatio longa, valdopere ad hunc morbum prædiſponunt.

9) Senſim, pedetentim, & non ſemper, quin rariſſime, incipit repente febris maligna.

10) Medici in domibus deberent ſemel curam inſervientium habere, ne omnes *ſimul* inſerviant, ſed alternando.

11) Utinam daretur talis confraternitas in noſocomiis, pauperibus domi ſuæ decumbentibus. &c.

12) Tempore epidemiæ, aut eo tempore, ubi inſervit quis, nil in victu mutetur; nemo ſibi præter ſolitum indulgeat, præter morem detrahat.

13)

13) Ex hac cautela negleĉta plures novi aſſiſtentes medicos mortuos anno 1771 & 72.

Historia Morbi XLII.

Phthiſis.

Fœmina cœlebs 32 annorum a primis ſemper ſana, ſi morbos pueriles excipias, quibus innoxie perfunĉta diu fuit. Ante 4 annos ſub initium autumni tertiana, per tres circiter ſeptimanas laborabat, ex qua emeſi binis per intervalla temporibus, & demum corticis peruviani auxilio convaluit.

Eodem adhuc uſa remedio eſt per quatuordecim dies ab ultima febris invaſione. Oĉtiduo poſtquam cortici valedixerat, tuſſis oborta eſt valida, ſonora, diurna nocturnaque, absque peĉtoris aut oppreſſi, aut alicubi dolentis ſenſu. Nunquam cruenta ſputabat, ſed mucoſa flava, coĉtisque mixta. Vigebat & corporis, ut antea, vis, & capiundi alimenti deſiderium.

Hoc

Hoc modo & reliquum autumnum, proximamque hyemem, ſubſequens ver, atque dimidium æſtatis exegit.

Fatiſcente hac tuſſi, eaque jam penitus ſilente, glandulæ, quæ utrinque per collum & angulum maxillæ locatæ ſunt, intumeſcere per vices; & apertæ aut ſuapte aut artis ope pus fundere, atque abſorpta omni glandulari ſubſtantia coire in cicatricem cœperunt.

Annus eſt, ex quo glandulæ pauciores tument, tumidæque ſæpius reſolvuntur, raro ſuppurant. Verum ab eodem fere annuo ſpatio tuſſis recruduit, immitis, ſonans, ſputa educens & copioſa, & purulenta, absque tamen oppreſſione thoracis aut ejusdem dolore, & absque difficili ſpiratione. Nulli noctu præter naturam ſudores, niſi perquam raro & exigui. Appetiit ſemper, & obambulando ægrotabat. Nec febricula exercebatur conſumptis ſolemni; nec alvo cita, niſi ſub ultimis morbi temporibus, & per paucos ſolum dies, cum pulvis radicis arnicæ ventrem mox iterum cohiberet. Per ultimas vitæ ſeptimanas pedes, crura demum, tandem & femora tumuere. Sputo ſemper & copio-

ſa

ſa rejecit, & parulenta. Tuſſis interdiu non raro, ſed maxime ſub auroram exorta. Toto, quo apud nos fuit tempore, nunquam difficilem reſpirationem, utut ſollicite, atque ſæpius interrogata querebatur.

Die 3tio Junii moritur.

SECTIO.

Maxillaris glandula ſiniſtra in folliculum pure plenum converſa, eroſa glandulæ ſubſtantia. Dextra defuit per ſuppurationem alias factam. Aliquæ colli glandulæ pus continebant.

In ſiniſtri pulmonis ſuprema parte abſceſſus clauſus, vacuus, exeſi parietes; cum bronchiis ſolis communicabant. Pulmo uterque ſolito multo gravior, duriorque, & granulis albis confertis intertextus. Granula hæc ne lentem quidem æquantia, intus pauxillæ materiæ purulentæ continebant.

In dextro cavo Lb I, aquæ; in ſiniſtro Lb.β. In pericardio unciæ iij. Siniſter pulmo, qua parte abſceſſus fuit, firmiſſime accretus.

Hepar colore bono, paulo flaccidius. Omentum flaccidum; inteſtina liveſcentia. Glandulæ meſenterii numero plures, & majores in conſpectum venerant, non duræ, ſed molles, flaccidæque. Pancreas parvum, molliſſimum, flaccidiſſimum, & membranis quaſi œdematoſis circumdatus.

Aquæ non exigua portio in abdomine. Ovaria ſubcalloſa.

Nota: 1) Decubitus in omnem partem facilis, declivi corpore. Nullus oppreſſionis ſenſus, niſi ultimis duobus diebus, etſi adfuerit hydrothorax.

2) Origo abſceſſulorum quæ? unde pus in glandulis, an ex inflammatione, an aliunde delatum, & erodens fuit?

3) Phthiſis absque febre, absque ſudore, absque alvo diarrhæica, utplurimum cum ſputo multo.

HISTORIA MORBI XLIII.

Pleuroperipneumonia.

Murarius 76 annos natus, robuſto corpore, qui in repurgandis latrinis & cloacis hujus urbis omne ferme tempus inſumebat,

mebat, per annos tres ultimos reſpirationem difficilem, & ferme aſthmaticam querebatur. Aeſtate liberius multo, & absque incommodo reſpirabat, peſſime hyeme.

Feſtis Domini natalitiis anni proxime elapſi, triduo lateris dextri & dorſi doloribus punctoriis cruciabatur, quos inſtituta ſemel phlebotomia intra triduum diſcuſſit. Ab annis ſedecim quater quotannis ſanguinem inciſa vena miſit, non ob quandam infirmitatem præſentem, ſed ob metum futuræ.

Ab ultima venæ ſectione, qua dolorem lateris dorſique punctorium ſub anni elapſi exitu diſſipavit, commode hucusque ab aſthmate liber vixit.

Die 13tia Aprilis 1778 inhorruit, æſtuavit, dolor punctorius lateris dextri thoracis. Facta eo die eſt venæ ſectio. Sanguis cruſtam ex flavo vireſcentem exhibuit. A phlebotomia dolor diſparuit. Ter hodie ſponteblioſa, amara vomuit.

Die 14. denuo horror validus, æſtu ſubſequente, dolorque punctorius per totum latus dextrum a ſumma ſcapula incipiens, ad infimam usque oram coſtarum ſpuriarum. Dolor lumborum ingens. Oppreſſio nulla thoracis; tuſſis nulla.

Die 15 Dolor idem, æſtus aſſiduus. Aliqua oppreſſio; nulla tuſſis. Lateri dolenti incumbere non poteſt.

Die 16 dolor & æſtus continuantur. Magna tuſſis, & oppreſſio major.

Die 17. Eadem Symptomata. Reſpiratio hodie fit ſtertoroſa & ſtrepens.

Die 18. Venæ ſectio. Cruſta ex viridi flaveſcens, levamen nullum. Die 19 & 20 eadem omnia.

Die 21 ad nos deportabatur. Os muco redundans, & ſordidiſſimum. Lingua ariďiſſima, ſcabra. Dolor totius dextri lateris. Reſpiratio fervens, ſtertoroſa. Facies ex rubro flava. Pulſus naturalibus vix celeriores, & fortitudinis requiſitæ. Calor naturali paulo major, mens exacte conſtans. Sera veſpera ejusdem diei mortuus eſt. Alvus ſemper erat moroſa tempore morbi.

SECTIO.

Sectum cadaver eſt. Pulmo dexter pluribus in locis arcte cohæſit, inflammatus ex toto, & aquæ fundum petens, excepta infima ejusdem pulmonis portione. Pleuræ in ſpatio exiguo ſubinflammatio, atque

que leviſſima tantum. Pauxillum ſeri flavicantis in eo cavo. Pulmo ſiniſter ſanus. Inteſtina omnia tenuia dire inflammata. Omentum alicubi replicatum, & hepatis concavæ parti connexum.

Herniam ſcrotalem in inguine ſiniſtro deprehendimus, quæ magnam ilei portionem continebat, eamque inflammatam. Nulla erat ſtrangulatio. Annulus ampliſſimus; tenuiſſimæ ſacci tunicæ, etſi hernia fuerit, ut videbatur, antiqua.

In genu ſiniſtro lupia fuit dimidii pugni magnitudine. Componebatur ex dura elaſticaque membrana, quaſi ſacco, qui plurimas intus cellulas continuit, inter ſe, ut apparebat, communicantes, piſum, fabam, avellanam, moſchatam capientes, quas ſanguis ater & grumoſus replebat. Septa cellulas efformantia videbantur eſſe e ſubſtantia quaſi *lienari*. Tumor totus, aliquantum mobilis, potuiſſet exſtirpari.

Historia Morbi XLIV.

Febris maligna.

Horologiarius 48 annorum, hyeme elapſa catarrho infeſtatur, quem ſuaſu medici

venæ ſectione & potu theato profligabat, ita tamen, ut ad hunc usque morbum præſentem potibus theatis & pectoralibus fuerit uſus, ob continuam diſpoſitionem catarrhoſam.

A tribus circiter ſeptimanis magna in ſomnum proclivitas; os glutinoſum, dedolatio.

Die 15 Julii vehementiori ira concitatus mox riget calore inſequente.

16 Artuum omnium dolor rheumaticus; os amarum, vomituritio; horror, circa veſperam brevi iterum evaneſcens.

12. & 18. eadem ſymptomata, veſpertina iterum exacerbatio.

19. Caput grave, temulentum; vomituritio aſſidua; ingens ſitis. Calor magnus.

20. Ingens dedolatio; artuum dolor vehementior. Secta vena dolor inferiorum artuum evaneſcit. Aurium ſuſurrus, cophoſis; alvus octies poſita. Somnus nullus.

21. dejecit 15es absque ullo levamine. Magna capitis temulentia.

22. ad nos venit, animo dejecto, capite gravi lingua bilioſorum. Dolor ad ſcrobiculum cordis attactu externo auctus. Pulſus & calor naturali haud major.

Ve-

Veſperi ſingultus, ſermones. Alvus noctu ter poſita. Cophoſis. Tremulus, facile illachrimans. Sudor capitis copioſus; mite delirium, nox inſomnis. Vomituritio, inanes vomendi conatus; vomitus etiam materiæ pituitoſæ. Urina profunde flava.

23. Omnia ut heri veſperi. Mane conſtat; facile in lachrymas ſolvitur. Dolor ventriculi dextrorſum attactum nec leviſſimum fert; vomituritio, vomitus difficilis, parcus, ſpontaneus materiæ pituitoſæ. Emeticum. Vomuit bilioſa. Veſperi lene frigus, calor. Minor cardialgia; mente conſtat; ſingultus ſubinde.

24. Febris paulo mitior. Attactum facilius circa præcordia fert. Lingua multum bilioſa. Os non amarum. Urinæ ſaturatæ & profunde flavæ. Mixtura ſolvens cum nitri & ſalis ammoniaci dr. j.

25. Lingua multum bilioſa. Cetera ut heri. Dato emetico non vomuit, aliquoties dejecit. Surditas magna. Febris ut heri.

26. Nox turbata. Lingua humida, bilioſa. Surditas major. Mens ſubinde vacillans. Abdomen attactum rudiorem haud

fert. Heri & hodie lenes convulſiones capitis collique.

27. Omnia ut heri. Attactum facilius abdomen fert. Febris non valida; oculi rubent. Sumpſit dr. j. ipecac. tart. emet. gr. j. cum oxymelle ſquillitico unc. ij. Non vomuit. Alvus aliquoties.

28. Attactum facilius fert. Lingua biliosa. Sputa glutinoſa quaſi ex gummi arabico ſoluto. Febris moderata. Mens conſtat. Non convellitur.

29. Ingens oppreſſio circa meridiem. Strepens & fervens reſpiratio. Subinde ſputum modice cruentum. Mens fere continuo alienata; pulſus fortis, plenus, naturali modice celerior. Oculorum albedo apparens. Poſt mediam noctem grumoſa ſanguinea vomuit, & moritur.

SECTIO.

Poſt 14 horas a morte ſectum cadaver.

In pericardio ſeri rubelli unciæ quinque inventæ ſunt.

Pulmo totus multo ſangine turgidus, ita, ut pulmo ſiniſter infra ſuperficiem aquæ nataret; pulmo vero dexter ad fundum de-

ci-

cideret. Gravis etſi uterque pulmo eſſet, tamen non eam, ac inflammati pulmones alias ſolent, duritiem ſtridentem ſecanti cultro oppoſuere. Erat ergo potius infarctus ſanguineus, quam inflammatio pulmonum.

Bronchia veſiculasque inundabat ſpuma rubella, copioſiſſima.

Hepar mollius ad attactum fuit, quam alias in ſanis ſolet, & magis flavicans; veſicula vix guttulam bilis bonæ continuit.

Inteſtinorum plurimæ portiones coloris plumbei, aut ſaltem non ſani. Omentum modice inflammatum.

Lien colore ut ſolet naturali, at friabiliſſimum, & pertuſa membrana extima diffluebat ejus interior ſubſtantia, quaſi merus ſanguis.

Historia Morbi XLV.

Apoplexia.

Fœmina 55 circiter annorum, vidua, ab anno integro in ſomnum ita proclivis eſt, ut ſedens, & inter laborandum indormiat; tarda moroſaque eſt. Die 15. Jan. 1779. circa meridiem in foro concidit apoplecti-

ca. Fit mox a chirurgo, penes cujus domum illa corruerat, venæ ſectio. Latus ſiniſtrum, crus & brachium ex toto reſolutum, adempto omni motu. Nil prorſus deglutit, & dum vel alimenta, vel medicamenta ingerere volunt, maxillas validiſſime comprimit.

Die 16. domi absque auxilio jacuit. Die 17 meridie ad nos deportatur. Fit venæ ſectio unc. x; cruſta craſſa fulvaque cum virore. Enemata. Die 18. deglutire incipit, & loqui ſubinde, idque apte. Manet eadem paralyſis. Leniſſimum purgans antiphlogiſticum datur. Deglutit iterum 19. Jan. cum pulſus eſſent fortes & pleni durique, facta eſt denuo venæ ſectio unc. x. cruſta uti antea.

Die 20. pulſus concidunt repente, deglutitione ſenſuque omni denuo abolita. Ad veſperam moritur.

SECTIO.

Aperto cranio ſinus poſteriores utriusque lateris, ampliores ſolito, & ſanguine turgidiores. In ſubſtantia medullari hæmispherii dextri ingens cavum, tres facile digitos

gitos longum, & duos latum, & anguloſum, quaſi ex dilaceratione: eo in cavo ſanguinis unciæ quatuor cum dimidia facile continebantur, profunde rubri, aut potius nigreſcentis, ita, ut & tenacitate, & colore roob ſambuci referret. In fundo cavi, deterſo ſanguine, arteria reperiebatur fundum perreptans, culmum ſtramineum craſſitie æquans, ligamentoſæ duritiei, & aliquid ſanguinis adhuc continens. Poſtquam comprimendo arteriam hinc inde tentaremus, ſanguis digito premendi ſe ſubduxit, & per foraminulum arteriæ, quo loco ſcilicet ea erat disrupta, in cavum illud præternaturale effluxit, evidenti ſigno, inde fuiſſe factam ſanguinis extravaſationem.

Ventriculus dexter ſubjacens huic cavo præternaturali, compreſſis parietibus quaſi deletus reperiebatur.

In ſiniſtro ventriculo perparum aquæ repertum. Plexus choroidei naturaliter ſe habuerunt, niſi quod quivis hydatidem fabæ magnitudinis habuerit.

In foramine occipitali parum lymphæ, aut ſeri.

In abdomine pars ilei purpurea, item maxima pars jejuni æque purpurea, macu-

lis

lis bruneis paucis, magnitudine vigeſinarii auſtriaci diſtincta.

Nota: 1) Somnolentia a dilatatis ſinubus, aut forte eorundem dilatatio ob ſomnolentiam.

2) An cruor effuſus eſt ob apoplecticam cauſam, vel vero ob lapſum in terram lapidibus ſtratam?

3) Quomodo ad ſe redire potuit: loqui, intelligere, ſaltem per vices?

Historia Morbi XLVI.

Apoplexia.

Aperui cadaver pictoris annos circiter 36 nati, qui ſæpius per vitam colicam pictorum paſſus eſt.

Menſis Junii initio 1779 ad noſocomium venit, aitque ſe torminibus vexari per octo dies, vomituque æruginoſo, & alvo eſſe per plures dies conſtipata, ita ut nullo potuerit enemate, utut ſtimulantiſſimo reſerari. Primo mox die convellitur epileptice, altero die convulſio bis rediit. Tertio die convulſus, & dein apoplecticus periit.

SECTIO.

Cadaver diligenter perluſtratum, caput præcipue, nil prorſus vitioſi exhibuit. In inteſtinis craſſis fœces virides, leviter conſiſtentes, & nullatenus duræ.

Historia Morbi XLVII.

Hernia.

Fœmina 55 annorum, trium olim prolium mater, ab anno ætatis 20 herniam cruralem habet, nucis juglandis magnitudine. Omni tertio, quarto, ſecundo menſe tumor indureſcit, & paulo major fit, cum vomitu, torminibus, & alvo conſtipata. Id vero intra 24 horas ſponte ſemper ſolvebatur. Tumor aliquantulum minuebatur nunquam tamen penitus evanuit.

Die 25. Nov. 1777 ad nos venit mane, aitque, duodecimum agi diem, ex quo non dejecerit. A totidem diebus vomuit ſæpius ingeſta, & ipſas fœces. Tormina, præcipue in epigaſtrio ſiniſtro. Mitior multo dolor in loco hernioſo. Sitis pauca. Tumor durus, nucis juglandis magnitudine mobilis, & verſus medium fixus ſub ligamen-

mento Poupartii. Tormina tamen mitiora. Nulla, aut vix ulla febris.

Abſtinere jubebatur ab omni cibo præter pauca juſcula, ne moles aſſumptorum vomitum invitet.

Impoſita mox eſt, & ſæpius bulneo tepido.

Enemata emollientia, dein parum ſtimulantia.

Nil levaminis. Veſperi ſectio. Saccus craſſus ad lineas quatuor. Adhærens ſacco omenti portiuncula, & inteſtini tenuis perexigua pars, ita, ut tantum unus inteſtini paries interceptus videretur.

Fruſtra tentabatur dilatatio ope dilatatorii. Pertundebatur ipſum inteſtinum, an rudi, & longa digitorum reponentium violentia, an vero ob flacciditatem gangrænoſam? Fœces prodeunt dilutiores, multæ. Relinquitur ſub ligamento pertuſum inteſtinum. Poſt operationem dabatur decoctum emolliens; ſequebatur alvus pauca ope emollientis enematis. Non vomuit poſt operationem. Dolor vix minor in abddomine. Non febrit.

Die altero, 26. Nov. Febris nulla; dolor & borborygmi, præcipue in epigaſtrio

ſtrio ſiniſtro. Sitis ingens; pulſus vegetus, & per omnia naturalis; calor quam maxime naturalis. Decoctum corticis.

27. Nov. Pulſus naturalis, alvus ter ſponte mota per viam ordinariam; paucæ fœces per vulnus. Lingua ſicca, arida, decoctum corticis.

28. Nov. Exiguus dolor abdominis, & potius borborygmi. Infuſo decoctum rad. arnicæ. Alvus bis dato enemate.

29. Dolor nullus; pauciſſimæ per vulnus fœces. Alvus ſemel enemate, ſemel ſponte. Arnicæ infuſum. Appetit valde.

30. Nov. Omnia bene. Gangrænoſa incipiunt ſponte abſcedere in vulnere. Reliqua uti heri.

2 Decemb. Tuſſis ſicca hucusque ſæpius. Pulſus debiliores absque calore, appetitus, & anodynia. Omni bihorio drachma una radicis arnicæ. Pus fœcibus remixtum intra abdominis muſculos ſe inſinuavit, telam celluloſam ſequendo, & marginem criſtæ oſſis ilei.

4. Dec. Facta eſt contraapertura, & adplicata eſt faſcia expellens. Ichor pravus,

7.

7. Dec. Læta contraaperturæ facies; melior ſuppuratio.

10. Decoctum arnicæ. Hoc die ſedere debuit ob decubitum ubique imminentem.

11. Vinum. Infuſo-decoctum arnicæ. Tandem fæces per alvum reddi, ex coriata ſanari, & vulnus coire ita cœpit, ut pauca, & tandem liquidiſſima dimiſerit. Macies plurima, & cutis oſſibus hæret.

At ſub initium Februarii 1778 repente alvus pertinaciter adſtringitur, tormina, pulſus duriuſculus, ſitis, clamor præ dolore. Hauſtus oleoſi, enemata, cataplasma profuerunt. Id incommodi ſæpius rediit, identidem denuo dicto modo conſopitum. Debilitas virium ingens. Non appetit; magis emaciatur; dolet latus ſiniſtrum; moritur.

SECTIO.

Pulmonis ſiniſtri magna portio inflammata. Inteſtina omnia aut inflammata, aut ferme nigricantia, membranis fictitiis cohærentia. Materies hinc inde puriformis intra convolutiones inteſtinorum reperiebatur, absque ulcere.

Ileum

Ileum haud procul a jejuno appendiculam efformabat protenſam, digiti unius cum dimidio longam, ligamento Poupartii interceptam, ſine pertuſo, & anum formante artificialem. Hepar amplum, lobus ejus ſiniſter totum hypochondrium ſiniſtrum replevit, deſcenditque alte ex latere ſiniſtro, & ſima ſua parte lienem continuit. Macies ubique ſumma; caro muſculoſa evanida.

1) *Nota*: En appendiculam herniam formaſſe, ipſum inteſtinum nunquam fuiſſe interceptum, aut ſtrangulatum, etſi pertinaciſſima in initio, 12 ſcilicet dierum obſtructio alvina adfuerit.

2) In alio homine hernioſo vidi herniam extrorſum locatam, introrſum vero locatam arteriam epigaſtricam, ut ſi introrſum fuiſſet facta annuli diſſectio in herniotomia, arteria fuiſſet diſſecta.

3) Reprobandum dilatatoriam 1) ob contuſionem, 2) quia ſecure diſcindi ligamentum poteſt.

Historia Morbi XLVIII.

Pleuritis.

Fæmina cælebs 56 annorum corpore exhauſto, ſtrigoſo, & facie pallidiſſima ac rugoſa in noſocomium ſuſcepta eſt die 30 Jan. 1779.

A pubertate quovis fere anno catameniis antea aut ſuppreſſis aut parcius fluentibus, & accedente fors validiori corporis motu, ſanguineum ſputum pati ſolebat, quod non niſi phlebotomiis, etiam repetitis ſupprimebatur.

Sex modo menſes ſunt, ubi ultima vice hœmoptoën patiebatur, iteratis, ut ſemper, venæ ſectionibus ita ſanatam, ut per tres a compreſſa hæmoptoë ſeptimanas ſputa multa educeret, & puriformia.

Ab eo tempore fractas vires, & hucusque non recuperandas queritur.

Tribus abhinc menſibus ſolito majorem laſſitudinem, horripilationes aſſiduas per 14 dies habuit; ſucceſſere dein ſudores nocturni, copioſi, qui poſt tres demum menſes emanſerunt.

Circa

Circa medium Januarii 1779 dolor rheumaticus cervicem, ſcapulas, & humerum dextrum corripuit, quo aliquantum remiſſiore facto, vigeſima ſeptima Januarii 1779, horis matutinis, hæc fœmina inhorruit, horrore aſſiduo, & alvo ſponte ac copioſe quinquies mota. Vires ſubito projectæ.

$\frac{28}{2}$ Jan. febris remiſſior, alvus ſubſtitit. A meridie vero magis febrit, cum anxietate, reſpiratione mox laborioſa valde, & dolore pungente lateris dextri, ad coſtam ſextam, & ſeptimam veram, ſpatium duorum transverſorum digitorum occupante, inter tuſſiendum & inſpirandum acuto, & tuſſi ſicca. Dolor ferme ad infimum ſternum procurrebat. Exiguum adhuc rheuma ad ſcapulam dextram.

$\frac{29}{3}$ Jan. Reſpirat ſolummodo ſedens, & laborioſiſſima.

$\frac{30}{4}$ Jan. Ad noſocomium ducitur. Reſpiratio difficillima, brevis, erecto ſolum corpore, & antrorſum aliquantum inclinato. Dolor lateris vividiſſimus. Pulſus celeres valde, molliſſimi, parvi, ſub digitis fere evaneſcentes, præprimis in carpo lateri dolenti reſpondente. Venæ ſectio. Cruſta phlogiſtica, pleuritica, flava. Po-

tus emollientes, nitroſi, tepidi. Non levatur. Urinæ rubræ.

$\frac{31}{5}$ Jan. Venæ ſectio repetita eſt. Remedia eadem. Cataplasma ad latus dolens. Pulſus paululum elatior, paulo mitior dolor; decumbere poteſt.

$\frac{1}{6}$ Febr. Remedia eadem. Veſperi pulſus major, duriuſculus, dolor exiguus. Venæ ſectio unciarum V. Peſſima, decurtata, interciſa, ſtrepens, fervens reſpiratio. Decumbit in dorſum, modice dextrorſum; in latus ſiniſtrum præ metu ſuffocationis cubare nequit. Sputa mucoſa, aquoſa, cum quibusdam parvis, rotundis, ex albo flavis, ac puriformibus. Deglutit difficulter, pauca, ſenſim. Lingua arida. Pallor faciei, labiorum; nox tranquilla, exiguus dolor.

$\frac{2}{7}$ Febr. Mane pulſus duri, elati, vibrantes; dolor nullus; decubitus, deglutitio, reſpiratio, ut heri; aphonia. Meridie periit.

SECTIO.

Pulmo dexter arctiſſimis & antiquis vinculis nectebatur cum pleura; novis vero

ro ex phlogiſtica materia factis cum diaphragmate, leviter ibi loci inflammato, & aliquid tenuis ac non coagulati ſeri intercipiente.

Pulmo hic pondere gravis valde fuit, ac inflammatiſſimus, carnem muſculoſam potius referens.

Inflammatio gravior inferiora pulmonis, ſeptum tranſuerſum reſpicientia, etenim pulmonis ſubſtantia ibi durior multo erat.

In pulmonis portione ſuperiori, claviculam reſpiciente plures hinc inde & parvi abſceſſuli, in ramos bronchiorum aperti, puriformem materiem continentes.

Totus pulmo craſſa, tenaci, alba membrana, veluti ſacco concludebatur, quam deglubere poteramus ab ipſa pulmonis extima ſuperficie.

Pulmo ſiniſter ſanus, ſed arcte cohærens cum partibus vicinis.

Nota : 1) Dolor mitior, decubitus facilior, pulſus aſſurgentes nil boni ſignificarunt. Peſſimum ſignum erat ſtrepens, fervens, breviſſima, decurtata ſpiratio.

2) Erectum ſedere velle in acutis, malum, peſſimum in pleuriticis, & peripneumonicis. *Hipp. Coac.* 171 Prognoſt. IV.

3) Quibuscunque pleuriticis, ſtrepitus ſputi in pectore multus eſt, & facies triſtis, & oculi velut icterodes, & caliginoſi, hi pereunt. Coac. III.

HISTORIA MORBI XLIX.

Pleuroperipneumonia.

Die 7. Maij 1779. Faber ferrarius ad noſocomium deductus eſt, qui ſequentia narrabat:

Ante 4 annos, tempore verno, morbo acuto ægrotaſſe, at inde perfecta ſanitate uſum eſſe. Menſe Auguſto anni proxime elapſi quartana correptus eſt, quæ cum per 13 ſeptimanas non interruptim perſtitiſſet, tandem cortice peruviano compreſſa eſt. Per 13 ſeptimanas febre caruit; at dein rediit denuo ad hæc uſque fere tempora.

Die 1 Maij mane valide compluribus horis inhorruit, ſequente poſtea calore intenſo, & continuato. Oris amaror, dolor lateris fere totius dextri punctorius, cum tuſſi, & difficili ſpiratione. Dolor erat ab ultima coſta ſpuria ad mammam usque.

Die

Die 2. Maij calor, dolor punctorius (hoc die debuiſſet redire paroxysmus quartanæ), oris amaror perſtans. Datum eſt, neſcio quo ſuadente, emeticum; amara, multaque vomuit. Non levatur.

Die 3. Maji venæ ſectio. Dolor lateris diſparuit. Die 4 Maji denuo venæ ſectio.

Die 6. Maji circa veſperam acceſſit oppreſſionis graviſſimæ ſenſus ad thoracem dextrum, ubi antea dolor fuit.

Die 7. Maji ad nos venit, difficillime reſpirans, & a veſpera diei heſternæ multa puriformia ſputa extuſſitans. Ab heſterna quoque veſpera decubitus, qui antea, in utrum libuerat, latus fieri poterat, nunc ſolummodo in dorſum poſſibilis. Veſperi ſtridoroſa, & fervens, & ſummopere anxia ſpiratio; pulſus pleni, duri, fortes. Venæ ſectio. Cruſta pleuritica.

Die 7. Maji circa auroram moritur.

SECTIO.

Aperto thorace uterque pulmo antiquis, validiſſimis, arctisque nexibus cum pleura cohæſit. Pulmo dexter totus quantus inflammatiſſimus; inflammata etiam hinc

inde pleura. Pulmonem hunc dextrum arcte ſuccingebat pſeudomembrana; attamen vaſis ſanguiferis diſtincta, quæ etiam intra lobos pulmonis illius immittebatur. Membrana hæc non erat aut ipſa pleura, aut pulmonis extima membrana; poterat enim ab utraque deglubi. In pericardio aquæ Lb. ß fuit contenta flaveſcentis.

Nota: 1) Decubitum facilem in utrumque latus, usque ad ultimum morbi diem; etſi enim grave aderat pulmonis dextri pondus, utpote inflammatiſſimi, tamen id non poterat pulmonem ſiniſtrum urgere, cum pulmo dexter ex arctis, & validis retinaculis ſuſpendebatur.

2) Male ſanum emetici uſum, etſi multa & amara vomuerit; oporteret enim prius phlogoſin infringere.

3) Dolor pleuriticus evanuit, etſi hinc inde inflammata pleura reperiebatur; cur?

4) Sputa, puris ſolum ſpeciem habentia, multa rejecit; nullus tamen repertus eſt abſceſſus.

5) Aquæ intra thoracis cava, vel intra pericardium, vel in omnibus his cavitatibus ſimul, ſæpius, & fere ſemper reperio

perio in cadaveribus peripneumonicorum, vel pleuriticorum.

Historia Morbi L.

Spina bifida.

Die 11 Maji 1779 fœmina ruſtica ex pago vicino puellam tres anni quadrantes natam, robuſtam pro hac ætatula, vegetamque nobis obtulit, & pinguem. Tumorem hæc puella habuit coniformem, octo pollices longum, albidum, quive veſicam ſuillam aqua repletam referret, ultimæ lumborum vertebræ ita inſidentem, ut hinc inde dimoveri potuerit, & viſum ſit in integumentis ſolum, ſeu cute corporis, ſuam habere ſedem. Aquam contineri, omnes arbitrantur. Poſt tres a nativitate dies parentes prima vice, exiguum quaſi, & molle tuberculum obſervarunt, quod ſenſim in hanc usque molem grandeſcebat.

Non putabatur eſſe ſpina bifida. Introducto triquetri inſtrumento, paracenteſin chirurgus in tumoris hujus apice fecit. Aquam limpidiſſimam educit, ſaccus collabitur.

Infans hora poſt ſacci pertuſionem elapſa, ultima vice lotium miſit, quod tamdiu non amplius mittebatur, donec intra 24 horas ſaccus denuo repleretur; eo repleto turgenteque iterum puella urinam miſit, donec ſaccus aut intra cubandum, aut quacunque alia ex ratione evacueretur, atque concideret; hoc enim vacuo non minxit; repleto vero & turgente iterum mingere cepit. Per vices aſſumpta vomit; vehementer ſitit. Die 13. Maji veſperi moritur.

SECTIO.

Aperto cranio ventriculi omnes, præcipue laterales cerebri ampliſſimi, & aquam limpidam continebant. Calamus ſcriptorius ampliſſimus, & valde hians.

Vertebra ultima lumborum ſpinam habuit perexiguam, atque ita ſurſum ſpectantem, ut inter hanc vertebram, & inter oſſis ſacri initium hiatus ex dehiſcentia appareret, in ſpeciem rotundi foraminis.

Per hunc hiatum medullæ ſpinalis extremitas fuit involuta membranis prodiit, meningum videlicet productione. Coniformis hæc medullæ ſpinalis extremitas digitum

tum manus ferme referens, libere ita per ſaccum protendebatur, donec ſuo fine occurrat apici ſacci, quocum coaluit. Hanc prodeuntem medullam aquæ limpidæ pauxillum ambiebat.

Aquæ videbantur ab encephalo intra utramque ambarum meningum productionem deſcendiſſe; tandem vero tranſſudaſſe per extimum prolapſæ medullæ involucrum & cutem in ſaccum elevaſſe.

Os ſacrum ex toto ſolidum, atque impervium fuit.

Historia Morbi LI.

Dyſenteria.

Fœmina 64 annorum die 19. Julii 1779 alvum torminoſam, liquidam, flavam decies poſuit. Tormina per vices intermiſerunt.

A $\frac{20}{2}$ Julii Alvus crebrior, parca, torminoſa magis, & cruenta.

$\frac{21}{3}$ Auctis torminibus 27es dejecit.

$\frac{22}{4}$ Tormina hodie aſſidua. Crebræ cruentæque dejectiones. Rectum prolabitur; 30es dejecit. Rheum toſtum & theriacam hucusque ſæpius devorabat.

$\frac{23}{5}$

$\frac{23}{5}$ Alvum hoc die ſemel ſolummodo poſuit. Tormina gravia, non interrupta.

$\frac{24}{6}$ Alvus iterum perfrequens, dyſenterica; cruciatus abdominis aſſidui.

$\frac{25}{7}$ In noſocomium delata eſt. Paucis ab adventu horis ſudores frigidi toto corpore manabant. Artuum extrema frigus tenuit cadaveroſum. Tumidum abdomen, & aſſiduo dolens, nec minimum ferens attactum. Alvus liquida, paulo copioſior, rarius cruenta, ſæpius bilioſa flavaque. Lingua ſicceſcens, amaror oris. Cataplasma ad abdomen emolliens; potus tepidi, emollientes; venæ ſectio.

Aſſerebat ægra, ſe os toto morbi tempore amarum habuiſſe, vomuiſſe ſe ter ſponte bilioſa; ſitiiſſe, & præter modum aſſiduo caluiſſe. Morbus in dies gravior.

$\frac{26}{8}$ Eadem omnia; dolor videtur tamen aliquantum remittere. Frigus marmoreum, ſudores frigidi.

$\frac{27}{9}$ Eadem; dolor aliquantum remiſſior; mente conſtat.

$\frac{28}{10}$ A meridie moritur, mente antea aliquantum mota.

SEC-

SECTIO.

Secto cadavere omnia inteſtina craſſa erant inflammata, prædura, & parietibus valde craſſis. Ileum modice inflammatum.

Historia Morbi LII.

Pleuroperipneumonia.

Die 1. April 1779. cadaver fœminæ diſſecui 50 annorum.

Domi ſuæ 14 diebus decubuit pleuroperipneumonica, dolore ad medium abdominis percurrente. Nulla facta eſt domi venæ ſectio. Reſpiratio laborioſiſſima, qualis aſthmaticorum, dolor pungens lateris dextri. Sputa flava, copioſa, ejusque ſpeciei, ut butyrum vietum & rancidum, ſeu flaveſcens eſſe ſolet, ſi fuerit ſemiliquatum, & modice diffluat. Alvus domi rara, difficilisque. Pulſus durus, vibrans, modice celer.

Apud nos aliquot venæ ſectiones factæ ſunt. Cruſta pleuritica. Potus emollientes, tepidi. Hæc profuiſſe videbantur.

Com-

Commodius ſpirabat; at pulſu duro & vibrante perſiſtente calor omnis remiſit.

Poſt triduum veſperi anxietas ſumma, ſudores artuum ſuperiorum, & faciei frigidiſſimi. Spiratio aſthmatica. Pulſus celeritate naturali; at durus, fortis, vibrans.

Per tres veſperas eadem ſcena rediit; mane & interdiu meliuſcule habuit. Moritur. Sputa ultimo triduo pauciſſima, at ejusdem conditionis.

Pulmo dexter exiguam portiunculam leviter inflammatam habuit. Pleura *late* inflammata, attamen ſolum *leviter.*

Pulmonem pleuræ jungebat pſeudomembrana, duos hinc inde digitos transverſos craſſa, tenaciſſima, & antiqua, ut videbatur & ſtratis plurimis conſtans, ita, ut ultimum ſtratum pulmonem contingeret immediate, ſed flavidum modice, & male cohærens, ac, ut apparebat, recenter coagulatum. Nullum ullibi ulceris veſtigium. Sana reliqua.

Hiſtoriam morbi accuratam amiſeram, hinc non recordor, an pluribus olim inflammationibus thoracis laboravit; id ita fuiſſe puto, quantum recordor.

En

En judicatam pleuritidem criſi mala, ſero phlogiſtico nempe tranſſudante in cavum thoracis! Sæpius ita inveni. Subinde ex hac criſi mala ſubito pereunt. Vidi id non infrequenter, tunc videlicet, ubi magna eſt quantitas ſeri tranſſudantis, & tranſſudatio ſubito contingit. Perire ſolent ea ratione, qua intereunt alii ex hydrothorace, ſpiratione erecta, ſedendo peracta & omni modo aſthmatica; animo tamen in omnibus ſive aſthmaticis, ſive ita ex inflammatione thoracis mala criſi pereuntibus, ad ultimum usque vitæ momentum præſentiſſimo.

Historia Morbi LIII.

Empyema.

Fœmina 28 annorum, hucusque ſana ſemper, profuſiora ſtato tempore catamenia ſi excipias, ante novem ſeptimanas primipara, partu facili ſanum infantem peperit. 5ta puerperii die, poſtquam ſolis colori ſe expoſuiſſet, atque incaluiſſet, frigidam largiter hauſit.

Die

Mox domum redeuns pectus oppreſſum ſentit; poſt aliquot dies de horripilationibus, & aſſiduo dein calore queritur, cum valida dedolatione, ut ablactare infantem debuerit. Accedente tuſſi cardialgia, & pedum crurumque œdemate morbus continuo augetur. Nullis remediis utebatur, niſi valido purgante a chirurgo dato.

Die 17 Nov. in noſocomium ſuſcipitur. Veſicantia; radix arnicæ; decoctum corticis. Perſtabat reſpiratio brevis, per vices ſtertoroſa, & ferme ſuffocans. Sputa pauca, pituitoſa; decubitus in utrumque latus difficilis, tuſſiebat enim; ſitu erecto facilius ſpirat. Alvus diarrhæica; dedolatio. Cutis ſemper, cum ad nos veniſſet, arida fuit, contracta, inperſpirabilis. Venit ad nos extenuata.

Die 15 Dec. Sectus eſt thorax dexter; aqua leviter purulenta effluxit. Pridie aſſerebat ſe eſſe mox ſuffocandam; difficillima enim erat noctu reſpiratio. Secta fuit inter quartam & quintam ſpuriam, numero ab infima ducto.

Die 17 a meridie pus ad Lb. β. craſſum, pingue, ſubinde ſanguine ſtriatum profluxit.

Die

Die 19 corticis peruviani & lactis vaccini āā Lb. j.

Febris, debilitas, emaciatio creſcunt in dies.

Die 26 diarrhæa. Datum decoctum corticis & radicis arnicæ; veſperi omni bihorio drachma β rad. arnic. cum decocto corticis; dein infuſo - decoctum rad. arn. cum decoct. cort. paratum.

Die 28. Diarrhæa frequens; tuſſis moleſta. Decoctum corticis & rad. arn. ſepoſitum pauliſper. Fœtor ichoris effluentis immanis corrigebatur injectione decocti ſcordii prutæ, alliar. cum eſſentia myrrhæ & melle roſarum. Diarrhœa ſiſtebatur. Absque febre bene reſpirans. Vinum ſubinde ſumit. Sed emaciatiſſima moritur die 13. Jan.

SECTIO.

In thorace dextro aliquid ſeri purulenti; nullibi ulcus. Pulmo totus ſacco antiquo cinctus, item pleura obtecta fuit membrana craſſa, lardacea, antiqua, vaſcularis; ſecta & preſſa ſanguinem fudit pauxillum; fuit enim vaſculoſa. Aliqua, levis tamen

durities in ſuprema ejus pulmonis parte. Siniſter pulmo ſanus. In pericardio aquæ unciæ IV. Aqua modica in abdomine. Præter ſummam extenuationem nil reperi, unde mori potuiſſet.

Nota. 1) Videtur veniſſe ad nos jam empyica. Febris autem, quam habuit, putrida eſſe viſa eſt; fors erat purulenta. Semper aliquantum læſa videbatur reſpiratio, etſi nil de ea conquereretur.

2) Fors præter empyema cum ad nos veniſſet, erat ſimul hydrothorax. Frequens connubium inflammati pectoris cum hydrothorace; hinc etiam empyematis cum hydrothorace.

HISTORIA MORBI LIII.

Veſiculæ felleæ inflammatio.

Famulus 50 annos natus, antea ſemper ſanus, potui vini & cereviſiæ perdite deditus, poſt initium Januarii ad noſocomium deportatur; tuſſiculoſus, anhelans, ſputa rejeciens flava, multa, purulenta; aitque, a 10 ſeptimanis difficulter ſe reſpirare, præcipue *ſtantem*, atque erectum, non-

nonnunquam leipothymias, & vertigines accidere, quæ tamen ſymptomata ilico ceſſant, ſi *decumbat*, difficilem illi ſpiritum eſſe ſtanti, & ambulanti præprimis; faciliorem vero cubanti; cubare ſe poſſe in omnem partem, etiam ſupinum, & capite declivi; non ſentire ſe repentinas quaſi excitationes cum ſuffocationis metu.

Difficilis & *aſthmatica* reſpiratio, & præprimis inſpiratio cum labore fiebat. Sermo abruptus, & interciſus, & ſpiritus crebro revocandi neceſſitas. Vox modice rauca. Sputa flava, multa, purulenta. Etſi in omnem partem ſe cubare poſſe aſſereret, tamen eum ſemper vidimus lateri dextro incumbentem.

Cum veſperi ad nos veniret, pulſus pleni, tardi, vibrati valde. Tanta anhelitus difficultas fuit, ut, ne ſuffocaretur, parum abfuerit. Caluit etiam febrili more. Mox parca venæ ſectio facta ſpiritum fecerat liberiorem, ita, ut binis diebus ægrorum cubicula obambularet aſſiduo.

Tertia nocte, qua apud nos fuit, repente moritur.

SECTIO.

Pulmones ſaniſſimi, nec unde ſputa provenirent, detegere potui.

In cavo thoracis dextro aquæ ex viridi flaveſcentis Lb. IV β.

Veſicula fellea ex inflammatione rubebat, uti etiam quædam tenuium portiones.

Historia Morbi LIV.

Febris maligna.

Ancilla 30 annorum, ſana hucusque, ante medium annum pepererat, nunc nutricem egit.

7ma Nov. horripilationibus vagis, & caloribus per noctem auctis, atque cephalalgia corripitur. Tertio morbi die ſumpto pulvere purgante 8oes dejecit; omnia ſymptomata inde aucta. Acceſſit vomitus bilioſus.

13. Nov. 6ta morbi die venæ ſectio; 8va repetita. Cruſta phlogiſtica.

18. Nov. Ad nos venit. Aurium tinnitus, cephalæa; lingua in medio ſicceſcens. Sitis magna, inappetentia, tuſſis

ſicca

ſicca absque ullo oppreſſionis ſenſu. Halitus acidum ſpirans. Pulſus celer, non durus; calor paulo major naturali. Decoctum graminis cum arcano duplicato, & oxymelle ſimplici.

19. Nov. Diarrhæa; pulſus celerior, & magis ad debilem accedens; calor intenſior; urina naturali coloratior. Datum infuſo-decoctum radicis arnicæ.

20. Emeticum. Veſperi exigua venæ ſectio. Laudabilis ſanguis; tuſſivit ante venæ ſectionem pluſculum, & ſputum cruentum.

21. Eadem morbi conditio. 22. ſputa mucoſa, modice cruenta; alvus facilis.

Jam inde a 24 Dec. debiliſſimos pulſus habuit, ſubinde ſub digitis evaneſcentes, ſubinde ne tangibiles amplius. Latæ crurum femorumque plagæ rubentes, lventes-ique; frigus artuum inferiorum marmoreum. Pulſu in artubus licet evanido, mens tamen firma, & robur muſculorum. Vinoſa, camphora, cortex, arnica, angelica, ſubinde vires erexerunt, denuo brevi col lapſuras. Frigida crura femoraque ſpiritu vini camphorato fricuimus. Ultimis binis

ſeptimanis pectus antea affectum videbatur melius eſſe; nulla tuſſis.

Mortua eſt nocte 2dam Januarii 1779 inſequente.

SECTIO.

Pulmones boni, niſi quod ſiniſter pulmo arcte cohæſerit diaphragmati, & poſticæ thoracis regioni.

Pulmo dexter æque ſanus, excepta exigua particula, juglandem nucem, aut paulo plus, æquante, quæ dura, & quaſi hepatica, profundeque rubra erat, ſcilicet inflammata.

Inteſtina tenuia hinc inde maculas inflammatorias exhibuerunt. Veſicula fellea pugni majoris virilis magnitudinem habuit, porracea bile diſtentiſſima.

Nota : Indicationes erant 1) vim vitæ erectam ſervare: an cortice, arnica, angelica, ſerpentaria, camphora, acidis mineralibus largis, ſalibus volatilibus, veſicantibus? an tepidis, an frigidis, emulſis? 2) nulla excretio ſubſiſtat; 3) nulla ſit profuſa.

Mo-

Moriuntur ex putridis 1) diſſolutione non ſolum fluidorum, ſed etiam ſolidorum, & *Gangrœneſcentia univerſali.* 2) ſtaſi letali ad cerebrum, pulmones.

Historia Morbi LV.

Aſthma hydrothoracem mentiens.

Vir 52 annorum a multis jam annis herpetem in omni ferme ſuperficie corporis contra omne remedium adhibitum rebellem habet; ceterum ſanus. Ab aliquot nunc ſeptimanis alvus moroſa, intra quinque ſexve dies ſemel tantum mota.

21. 22 Oct. mane repente de oppreſſione pectoris conqueritur; reſpiratio difficilis, decubitus in dextrum latus impoſſibilis; ſumma anxietas, ut ad feneſtras accurreret, aërem capturus. Acceſſit amaror oris, & inappetentia. Sæpius rediere aſthmatis paroxyſmi, cum metu inſtantis ſuffocationis. Quater vena ſecta eſt; ſanguis phlogiſticus; aliquod inde levamen. Ab aliquot diebus crura tument.

4. Nov. Ob paroxyſmi vehementiam ſanguinis vaſculum eductum; & veſicans intra ſcapulas.

5ta Melius ſe habere aſſerebat. Reſpiratio tamen ſibiloſa. Alvum bis poſuit. Nullus paroxyſmus aſthmaticus.

6. Sitis ingens, & aſſiduus frigoris interni ſenſus. Data mixtura ex aqua junip. fænic. unc. ij. terræ fol. tart. dr. iij, liquor. anod. gtt. xxx. oxymel. ſquil. unc. 1 ß. omni quadrihorio vaſculum.

7. Noctu levior paroxyſmus binis vicibus rediit. Reſpiratio difficilis, ſibiloſa; alvus bis mota.

8. Nullus paroxyſmus aſthmaticus. Cetera eadem. Veſicans ad ſuras; a biduo enim pedis tumor apparuit in plaga herpete obſeſſa.

9. Per totam diem bene ſe habuit; alvus libera. At noctu gravis iterum paroxyſmus aſthmaticus, qui poſt horam ſponte evanuit.

10. Sitis, amaror oris, & inappetentia. Circa meridiem duo paroxyſmi ſeſe celeriter excipiebant. Locus veſicante tentatus ſerum copioſum fudit. Pulſus intermittens, fortis tamen.

11.

11. Veſperi paroxyſmus. Noctu autem & 11ma nullus rediit. Finitis etiam paroxyſmis tamen manſit difficilis reſpiratio, etſi non inſtaret ſuffocatio.

Noctu diei 11mæ, cum jam per plures dies diu noctuque extra lectum erecto corpore ſederet- lectum petit; at mox paroxyſmo corripitur, e lecto ſurgit, & ſuffocatur.

SECTIO.

Aperto thorace pulmones laxi deprehendebantur, parva ſolum portio, nucem juglandem æquans, in parte ſuperiori lobi dextri ſubinflammata erat.

Pulmo ſiniſter arctiſſime ubique cum pleura nectebatur. In cavo ſiniſtro thoracis nil aquæ reperiebatur.

Pulmo dexter nullibi accretus. Dextrum thoracis cavum Lb. β circiter aquæ continebat.

Diſſecto abdomine omnia ferme viſcera aquis innatare deprehendebantur.

Nota Reſpiratio ſemper aſthmatica fuit, ita, ut nunquam intermitteret morbus, etſi remitteret. In leviſſimo corporis

motu, item in decubitu metuebat ſuffocationem. Subinde vomituritiones, os fere ſemper pituita plenum, & leviter amarum queſtus eſt. Semel ſponte paucam pituitam vomuit cum levamine, ut putabat.

Metuebam emeticum dare ob ſuſpicionem hydrothoracis. Fors ſerius datum emeticum, utpote in aſthmate pituitoſo, ſervaſſet hominem.

Dedi id in alia fœmina extra noſocomium, quæ olim aliquoties aſthmatica emeticis curabatur. Nuper lente illam ſanavi terra foliata tartari, ſquilla, g. ammon. &c. Cum menſe Nov. rediret aſthma fere ſuffocans, dedi emeticum cum multo levamine, & rejectione multæ pituitæ.

HISTORIA MORBI LVI.

Hydrothorax.

Famulus 17 annorum 31. Dec. 1777 ad nos venit. Ante tres menſes ſpumantem ſanguinem tuſſiendo rejecit, ad uncias circiter x. Venæ ſectione, & copioſis hauſtibus gelidæ, ſputum ſanguinis ſiſtebatur, & æger muneribus ſuis iterum fungebatur.

Ad

At 12. Dec. levi oppreſſione pectoris corripitur; accedit tuſſis ſicca; elapſo triduo ſputa purulenta. Sanguine ſtriata prodeunt, noctu copioſiora.

Sanguis dum ſemel atque iterum apud nos mitteretur, cruſtam phlogiſticam, pleuriticamque, ſed diſcolorem, ex livido vireſcentem, & flaveſcentem exhibuit.

Magna ſitis. Reſpirationem ſemper dicebat facilem. Alvus ſæpius diarrhæica. Interdiu ſurgebat, obambulabat, niſi ultimo quatriduo, quo ſemper decubuit. Pallidiſſima facies. Vox ſemper valde rauca. Sputa toto tempore copioſa, & purulenta. Ultimis diebus urens ardor a contrectantibus advertebatur.

Mirabamur quotidie, cum ſtudioſe interrogaretur de decubitu & reſpiratione, eum reſpondiſſe, decumbere ſe facillime in omnem partem, & absque ullo difficultatis ſenſu reſpirare.

Mortuus veſperi die 15. Jan. 1778.

SECTIO.

In thorace ſiniſtro fluctuabant ſeri ſubflavi & perlucentis Lb. ij.

Pe-

Pericardium continuit ejusdem laticis ſeroſi uncias vj.

Pulmo uterque plurimis abſceſsulis inter ſe communicantibus, & pus continentibus refertus. In ſuprema utriusque pulmonis portione vomica ovum gallinæ facile capiens.

Interjacens pulmonum ſubſtantia inter abſceſſus memoratos erat dura valde, vereque inflammata.

Glandulæ bronchiales magnæ, duræ, inflammatæ.

Superficies aſperæ arteriæ per totum ruberrima, vereque inflammata.

Abdomen ſeroſi laticis aliquid continuit.

Inteſtina tenuia livida, & ſemigangrænoſa.

Glandulæ meſenterii plurimum fuerunt obſtructæ, duræ, magnæ.

Historia Morbi LVII.

Phtiſis.

Ancilla 27 annorum, ſana hucusque, anno 1778 circa feſtum pentecoſtes incipit tuſ-

tuſſire, tuſſi noctu ſemper exacerbata. Decubuit tamen in omnem partem absque diſficultate, & facile reſpirans. Elapſis ita ſex circiter ſeptimanis, accedit inappetentia, & cardialgia. Sumpſit theriacam dein remedium purgans. Vomuit inde copioſam pituitam; alvus ſepties mota. Sudores nocturni.

Circa 20. Nov. Febris continua remittens, exacerbationibus vagis. Vena ſecta; nullum levamen.

25. Nov. ad nos venit. Anthelminticis remediis per vices exhibitis fruſtula tæniæ rejecta.

Toto tempore, quo apud nos fuerat, febris aderat, veſperi noctuque; pulſus celeres, ſubduri, ſputa ultima ſeptimana copioſa, vereque purulenta. Tuſſis, quæ primis morbi temporibus per horam, ſolum per tempus ſomni ægram afflixit, apud nos totas fere noctes turbabat.

Cum nuper latus dextrum dolore pleuritico doleret, emollientia data, & ſecta vena; cruſta adfuit, ſed diſcolor. A triduo jam fere ſuffocatur, præcipue ſi in dorſum velit cubare; cubat tamen in utrumque modo latus absque difficultate.

Sem-

Semper antea ſana per vitam fuit; per multos ſcalarum gradus ſolebat onera portare.

Nocte diem 10. Jan. 1779. excipiente, vegetis ſenſibus moritur.

SECTIO.

Glandulæ colli in dextro latere partim ſuppuratæ, partim materia albida ſcrophuloſaque infarctæ.

Aperto thorace, pulmones ſub cultro ſtridentes; ramuli bronchiorum cartilagineam duritiem exhibebant. Pulmo totus durus, ſcirrhoſusque, tuberculoſus; ſed tuberculoſa hæc pulmonum ſubſtantia videbatur ſimul inflammata.

Hepar mollitie præternaturali deprehendebatur. Inteſtina omnia pallida, flaccida collapſaque. Tænia nulla reperta.

HISTORIA MORBI LVIII.

Phthiſis.

Sutor 46 annorum, a ſeptennio catarrho ſe laborare ait continuo; ſputa primis

mis quatuor annis pauca, & mucoſa. Nullus prægreſſus morbus eſt, nec ullam novit mali cauſam. A tribus annis puriformia flavaque ſputat, pauca. Oppreſſio pectoris acceſſit a triennio; ab eodem tempore, & inter tuſſiendum, & extra tuſſim frequenter ſanguis ex naribus copioſe ſtillat. Venam a biennio aliquoties cum oppreſſionis levamine ſecuit. At his ultimis temporibus neque venæ ſectio juvit. Reſpiratio aſthmatica, orthopnœa. Senſus compreſſionis fortiſſimæ ad infimam ſterni partem. Febris nulla, nullus ſudor, nulla diarrhæa, nullus unquam crurum tumor. Appetitus mediocris.

A ſex ſeptimanis pejus habet. Noctu tuſſitat plus, noctesque ſedendo transigit a longo jam tempore. Sputa rotunda quaſi in formam cruciferi, ab aliis diſcreta, flava, non copioſa. Sumit decoctum altheæ cum ſyrupo altheæ; mixturam ſolventem.

28. Julii, non prima vice bona; decumbendo & dormiendo transacta. Compreſſio ad infimum ſternum vix aliqua.

30. Jul. Alvus a triduo movetur frequentius, & ſepties intra 24 horas. Sputa rotunda, flava, craſſa, non copioſa valde;

tuſ-

tuſſis nocturna; ceterum ſomnus. Hodie decoctum dabatur ex polygala & liquiritia. Ad veſperam uncia 1 ſyrupi altheæ cum gr. 1 opii.

1. Aug. Pectus bonum, non oppreſſum; Decoctum lich. polyg. liq. cum paregorico veſpertino. Pauciſſima ſputa; non febricitat.

4. Aug. Ob ſpiritus difficultatem denuo redeuntem datum decoctum ſpec. de alth. cum ſyrupo de althæa. Ob diarrhæam leviorem datum veſperi paregoricum.

6, 7. Aug. Emulſ. cum ſyrupo de althæa. Veſperi ob alvum frequentiorem opium, cum omni quarto die caleret multum, datum eſt decoctum corticis. Bene inde habuit die 13. Aug.

27. Aug. Febris nulla, ſputa pauca; nullus ſudor, nulla diarrhæa. Carnibus veſcitur. Lichen & polygala.

7. Sept. Difficillima reſpiratio, pauca ſputa. Non ſudat; alvus ordinata. Die 17 Octobris moritur.

SECTIO.

Pulmones duri, nodoſi, partim ſubſidentes, partim ægre natantes. Punctula

alba,

alba, miliformia totam ſubſtantiam obſidebant. Nullibi ulcus.

Aquæ in pericardio pluſculum, item in utroque cavo thoracis. Pulmo ſiniſter arctiſſime cohæſit cum pleura.

HISTORIA MORBI LIX.

Empyema.

Faber ferrarius 28 annorum menſe, Februario 1778, ut ajebat, pleuritide laborabat. Initio Martii 1780. in noſocomium S. T. ſuſcipitur. Tuſſis aſſidua, cum ſputis purulentis, copioſisque; ſumma reſpirationis difficultas, & aſſidua pectoris oppreſſio; vox rauca; febricula. . 27. Martii moritur.

SECTIO.

Thorace aperto in ſiniſtro latere laticis purulenti menſuræ duæ intra pleuram & pulmonem collectæ, effluxere. Pulmo mole aquarum compreſſus, & facie poſtica ficticia membrana coſtis accretus. Extrema ejus pulmonis ſuperficies denſa, elaſti-

ca; interior autem ſubſtantia vomicis plurimis, pure plenis, & inter ſeſe communicantibus, fere tota erat abſumpta.

Pulmo dexter in parte ſuperiori & poſteriori inflammatus; atque pluribus vomicis, pure plenis, obſeſſa.

Nota 1) Venæ ſectiones frequentes & largæ factæ ſunt. Cruſta ſemper pleuritica; aliquod levamen.

2) Sputa mox initio morbi prodierunt purulenta.

3) Potus emollientes, nitroſos, mucilaginoſos ſumpſit.

4) Pulſus ſemper durus, plenus, vibransque.

HISTORIA MORBI LX.

Hernia ſcrotalis.

Doliarius 36 annos natus, corpore robuſto, toroſo, ante duodecim fere annos contuſionem ad inguen ſiniſtrum patiebatur, unde ibi loci paulo poſt tumor ortus, a quo ſe curatum ope chirurgi cujusdam dicebat.

Ali-

Aliquoties poſtmodum conſequentibus annis corpus quoddam durum, ex abdomine in ſcrotum relapſum, cum doloribus colicis eſt, quod prompte ab ipſomet ægro repoſitum ſæpe eſt, atque cum ſonitu, ut ajebat, intra abdomen ſe recepit. Vini interim, ejusque ut plurimum generoſioris potui, ut qui in repoſitoriis vinorum, exigente id opificio, quod exercuit, frequens eſſet, quotidie ferme, & quovis diei tempore, largiter indulſit.

A 14 fere annis quavis nocte, ſæpius ex lecto ſurgere conſueverat, ut largis aquæ hauſtibus, & indomabilem perpetuamve ſitim, & calores viſcerum temperaret; utroque incommodo adeo graviter urgebatur, ut ne paucas quidem temporis antimeridiani horas absque potu perferret, firma ceteroquin valetudine ſemper uſus.

His ultimis ſeptimanis ſæpius ac aliis prolapſum illius corporis ex abdomine in ſcrotum experiebatur, atque id difficilius, quo frequentius relabebatur, repoſuit.

Prolapſum comitabatur alvus compreſſa, dolor in inguine tumente, atque utrinque ſupra criſtam oſſis ilei in abdomine.

Die SS. Trinitati ſacra, poſt largiores cereviſiæ vinique hauſtus, cum & cibo ſe repleſſet, denuo idem malum rediit; alvum ſuppreſſam ſuppoſitorio ſollicitavit, qua mota repoſitionem ipſemet fecit. Paucos poſt dies eidem malo eadem ratione medebatur.

Die 22 Junii tumoris inguinis & ſcroti dolor utrinque ad criſtam oſſis ilei, cum duritie abdominis ibi loci redit. Sitis permagna; ſed immiſſo proxima die clyſtere, & manuum ope, tumor inguinis receſſit. Potio purgans alvum movit hoc die, ut et die ſequenti, etſi aliquis in abdomine dolor, & ſolito major ſitis continuo affligerent.

26. Junii conſuetos labores, quos hiſce diebus, etſi non decumberet, neglexerat, reſumpſit; ſiticuloſior tamen ſolito, & ab omni moleſto ſenſu in abdomine non liber. A meridie domum redux graviori ventris *locique hernioſi dolore*, *corripitur.*

Mane illius diei alvus ſemper adhuc reſpondebat.

Die ptoximo ſymptomata omnia increſcunt; ſumit ſpiritum quendam aromaticum, ejulat, conſueto religionis ritu expiatur. Eo die, ut & ſequentibus duobus, ene-

enemata varia, emollientia, acria, quin & acerrima applicabantur. Flatus pauci, perpaucæ fœces ope clyſterum eductæ, nullæ ſua ſponte. Impoſita dolentibus locis cataplasmata emollientia. Hiſce diebus ſepties vena ſecta eſt.

Die 29 ad noſocomium defertur, ubi facto examine ſequentia deprehendebantur. Tumor oblongus abdominis per annulum ſiniſtrum in ſcrotum deſcendebat, durus, dolensque. Teſticulum illius lateris quærentibus, eumque nullibi deprehendentibus, æger repoſuit, ſe uno ſolum ab natura donatum teſticulo eſſe, & fruſtra eum hocce in latere quæri. Quibusdam rei novitatem mirantibus orta ſuſpicio eſt, teſticulum, qui fors in abdomine ad id usque temporis reſtiterat, quemadmodum ſerius deſcendentium teſticulorum, quin & eorum, qui ſemper intra abdomen remanſere, exempla proſtant, corpus illud durum eſſe, quod aliquoties prolapſum ab ægro reponi ſolebat, & aut ex breviori funiculo ſuſpenſum, diſtrahendo hoſce dolores crearet, aut cujus funiculus ab annulo abdominis ſtrangularetur. Strangulatio enim ibi loci, quidquid demum id corporis eſſet, videbatur

eſſe manifeſta. Verum, ſeu hoc, ſeu illud obtineret, id demum ſtatutum erat, elapſum corpus diſciſſis integumentis detegere, ut ſi alicubi preſſio aut ſtrangulatio appareret, hæc ſolveretur.

Detectum itaque facta ſciſſione corpus eſt, quod pyri inſtar ex pedunculo craſſiori penderet, ea duritie ac forma, qua teſticulus ſolet, magnitudine tamen quadruplo majori.

Hoc rerum ſtatu viſum e re fuit, arctiſſime ſtringentem annulum diſcindere, qui ſectus cum ſonitu diſſiluit, ut pedunculo manifeſte ſtrangulato libertas detur, atque parti dolenti duræque, ut & abdomini emollientia applicare.

Conſilium hoc eo die & ſequenti executioni mandatum eſt, donec id, quod tumidum teſtem mentiebatur, forte molleſceret, & digito preſſum, flatuum, & aquæ contentæ ſigna ederet. Quod cum eveniret, facta mox inciſio eſt, unde aquæ quædam pars effluxit; inteſtinum exhibuit profundo rubedine tinctum, quod ampliato magis annuli vulnere, intra abdomen reducebatur.

Per-

Peracta deligatione varia enemata injecta fuere, quibus alvus ſubinde, ſed perparce ciebatur. Urina, quæ antea parciſſima, ac ne vix quidem fluxit, copioſior, liberiorque prodivit. Singultus, vomitus, quibus jam tunc, cum adhuc domi decumberet, premi cœpit, doloresque ac tumor abdominis augebantur.

Sæpius inter loquendum, ac etiam alias, leniter dentibus ſtridebat; quemadmodum infantes ſolent, quorum inteſtina aut acido, aut vermibus, aut acribus quibuscunque mordentur. Ultimis duobus diebus ſubinde ſubdelirabat, ita tamen ut ad interrogata apte reſponderet. Ultimo die pulſus celeres, humiles, exigui; nulla tamen doloris remiſſio ad ultimum vitæ momentum usque. Alvus enemata reddidit, fœculenta materie remixta.

Die 3 Julii mors vitæ finem fecit.

SECTIO.

Facta die ſequenti cadaveris ſectio exhibuit colon, paulo antequam in inteſtinum rectum terminatur, ubi per latus abdominis ſiniſtrum deſcenderat, contra ſe ipſum

reflecti, & aſcendere aliquo ſpatio, ac portioni deſcendenti firmiſſima adhæſione per totum tractum necti. Pars illa infima, quem colon contra ſe ipſum retortum effecit, livore ac nigreſcente rubedine, & craſſioribus membranis conſpecta portioni ilei nectebatur, eique lividæ pariter, & atro ſuffuſæ ſanguini. Utrumque vero inteſtinum explicata ratione firmiſſime connexum minus firmis adhæſionibus ad peritonæum penes annulum abdominis religabatur. Ibi, ubi colon contra ſe ipſum replicatum liveſcebat, peranguſtum ac ferme nullum fœcibus iter relinquebatur, tum quod ipſa hæc inteſtini reflexio viam propemodum interciperet, cum etiam, quod membranarum inflammatarum tumor contentum cavum eliderer.

Saccus hernioſus teſtem, quem aliqui deeſſe arbitrabantur, tegebat, multo altius, ac alter ejus ſocius, verſus abdomen reductum, ac triplo fere minorem, atque, ut videbatur, flaccidiorem; ſed quod tactu non deprehenderetur, in cauſa fuit ſaccus alius, craſſus, teſtem, & ipſam peritonæi productionem concludens, qui induratæ,

con-

condenſatæque tunicæ celluloſæ ſuam debere originem videbatur.

An inteſtinum ileum, an portio illa coli ileo nexa, aut utrumque prolapſum herniæ fecerit, non ſatis conſtat, quamvis hoc ultimum veroſimillimum ſit. Colon enim & gravius affectum, atque ita locatum erat ut non potuerit non prolabi, etſi rarius multo colon procidat, & hæcce coli portio quam rariſſime.

Memorata coli replicatio difficilem excrementis tranſitum, eorumque coacervationem, inteſtini ipſius diſtractionem dolor effecit, unde ab inguine verſus criſtam oſſis ilei, tumor, duritiesque facile repetitur. Alvi ſiccitas tarditasque ex præcalidis viſceribus, phlogiſticave humorum diatheſi, ac potu multo vinoſo acidoque, ac idcirco diuretico qualia auſtriæ vina ſunt, apte explicatur.

Sæpius ipſemet æger herniam repoſuit verum plerumque aut ſuppoſitorio, aut enemate, alvum prius ſollicitabat,

Varia ab omni tempore medicamenta in hernia incarcerata adhibita fuiſſe, leguntur, felici ſubinde cum eventu, quorum aliqua in præſentiarum examini ſubjiciemus.

Purgantium uſus, antiphlogiſticorum præcipue, a multis commendatur. Verum ſi fæx dura protruſum inteſtinum diſtendit, aut ſi inflammatorius inteſtini tumor prohibeat, quo id minus per anguſtum ſacci [illegible] periculum ſe recipere queat, ſi ipſe annulus inflammetur, tumeat, & viſcera procidentia ſtranguletr, pharmacum vel leniſſimum adeo parum conducit, ut potius & majora morbum incrementa capere, & brevi exitium afferre neceſſe ſit. Etſi hujus generis medicamenta ileum a concretis ſcybalis, ab indigeſtis denique rebus inteſtinum aliquod obturantibus, nulla præſente hernia ſtrangulata, feliciter ſolverint uſque etiam ibi non raro profuerint, ubi nulla fæx dura, nec ulla phlogoſis ejus partis exitum inhibet; verum ſi aut inflammatio, aut fæcum durarum congeſtio, quam digitis dividere, aut emollientibus applicatis emollire non poſſis, inteſtini repoſitionem impoſſibilem effecerint, ferro incidendi illico via eſt, neque eousque procraſtinandum hoc ultimum auxilii genus eſt, donec omnia, quæ alias in libro protuliſſe legeris, fueris periclitatus, atque totum remediorum hoc in caſu laudatorum catalogum

[illegible]

cum temporis & ægrotantium vitæ diſpen-
dio abſolveris.

Verum ſi nulla phlogoſis, nullumque mechanicum impedimentum inteſtini redi-tum intercipiat, omnia illa ſpecifice appli-centur, quæ quæcunque ratione id efficiant ut inteſtina, in loco præprimis hernioſo, potentius ac celerius ſe contrahant, contrac-taque intra abdomen ſe recipiant. Hinc enematum, ſuppoſitoriorumque & purganti-um vis, atque ipſius aquæ gelidæ uſus, ſive ore aſſumatur, ſive ad locum hernio-ſum, forma nivis, aut glaciei applicetur, facile patet.

Opium hernias aliquoties ſolvit, ubi prolapſo viſceri ſpaſmus muſculorum abdo-minalium, vomitus, indeque nata muſculi conſtrictio reditum præcluſit. Quas ilei ſpe-cies tam opium ipſum, tum & fumus ni-cotianæ, ſtimulante, & narcotica ſimul vir-tute præditus, quomodo ſanare valeant, morbi naturam cum notis medicamenti viribus conferenti ſatis conſtat.

Hi-

Historia Morbi LXI.

Phthiſis.

Fœmina 24 annorum ante 5 ſeptimanas prima vice peperit, partu felici, naturali, & facili. A partu dolor abdominis per intervalla, lochia. Exacto biduo caluit febrili modo, dolor per abdomen totum; abdomen tumidum. Ita per quatuor ſeptimanas. Dein his ſupervenit vomitus quotidie ſæpiſſime recurrens, amarus, ad ſingula ingeſta.

Exacta 5ta ſeptimana a partu ad nos defertur, pulſu febrili, tenſo, vibrante, abdomine ingenti, tumidiſſimo, ut in imani aſcitide ſolet. Dolor aſſiduus totius abdominis; vel ad leviſſimum attactum ejulat. Os pravum, amarum. Vomitus aſſumptorum. Alvus tardiſſima; calores magni. Ita die 14. Octob. 1778. Mixtura ſalina; enemata; aqua cum oxymelle.

15. Emeticum. Innumeris vicibus purgabatur; viridia, fluida, duris ſcybalis mixta. Nullus noctu dolor; & abdomen detumuit penitus.

16. Mixtura cum ſale ammoniaco. 17. decoctum amaricans cum drachma una ſalis ammoniaci. Bene per omnia, ſola debilitas.

Aliquot inde diebus crus & femur ſiniſtrum mirum tumet, tumore albo dolentiſſimo ad attactum, & hydropico. Amaricantibus ſumptis alvus facilis; pedes aromatica frictione aliquantum detumuere.

Die 7. Nov. Dolor abdominis, lateris ſiniſtri, ventriculi continuus, per intervalla gravior. Emollientia interne & externe. Nil emendatum.

Die ergo 10. dedi drachmam β rad. ipecacuanhæ. Porracea vomuit multa dejecitque. Dolor omnis evanuit.

12. & 13. Corticis decoctum. Die 14 a meridie levis denuo dolor abdominis, & amaror oris.

Die 28. Nov. Mortua eſt.

SECTIO.

Cadaver emaciatiſſimum, uti phthiſicorum eſſe ſolet. In thorace ſiniſtro ultra vj Libras aquæ cum pauco pure, inter diaphragma & pulmonem ibi accretum, & ſaccum formantem.

Pul-

Pulmo compreſſus in exiguum ſpatium, flaccidus, & pus hinc inde plorans. In pericardio parum aquæ. Color utriusque aquæ erat ex viridi flaveſcens.

Hepar flavum; cetera bonum. Bilis pauca, amurcoſa.

Inteſtina plurimis in locis cum inter ſe, cum omento, peritonæo, veſica, utero, ejusque appendicibus, firmiter cohæſere; coloris ſubinflammati, hinc inde nigra. Alterutrum ovarium tubæ ſuæ, & uteri lateribus nexum erat; utrumque nucem majorem nuglandem æquabat, & in ſaccum converſum, pus continuit.

Nota: 1) Morbus erat puerperarum.

2) Male tractatus, neglectus.

3) Saburra diu relicta facit peſſimam inflammationem.

4) Hujus inflammationis exemplum habuimus in alia puerpera.

5) Decubitus in omnem partem, & reſpiratio facilis, & ſupino corpore, licet tanta fuerit aquarum moles.

6) Male ex hac ſectione concluderetur de inflammatoria indole febris puerperarum, & neceſſitate venæ ſectionis contra eandem.

SEC-

SECTIO III.

OBSERVATIONES VARII ARGUMENTI.

OBSERVATIO I.

Abſceſſus ad coſtas.

Textor 28 annos natus a longo tempore ſanus vixit. Verno tempore 1776 de levi pectoris oppreſſione, motu corporis vehehementiori aucta, conqueritur. Ita æſtatem tranſegit.

Ante 14 dies thoracis oppreſſio augetur, & ſpirandi difficultas de die in diem major. 26. Nov. accedit dolor punctorius ad ſternum, qui altera die ad ſiniſtrum latus ad mammam usque protendebatur. Noc-

tu vena ſecta, cum aliquo levamine. Sequentibus diebus omnia ſymptomata increvere.

30. Nov. ad nos venit. Valida pectoris oppreſſio; ſumma reſpirationis difficultas, thorace fere immoto. Dolor lateris punctorius, inſpirando attactuque externo auctus, & inſignis plagæ dolentis tumor. Decubitus in utrumque latus difficilis, dolens, cum ſenſu gravativo, in quodconque latus ſe inclinaret. Secatur vena.

Tumor de die in diem magis elevatur; cataplasma emolliens adplicatum; atque fluctuatione manifeſta tumor aperitur. Pus bonum, atque copioſum effluit, ſinus varii detecti, coſta una alterave exeſa.

Elapſis aliquot diebus pus fœtidum, febricula, ſudores nocturni, alvus diarrhœica, & virium proſtratio.

Injectionibus antiſepticis, & interno longoque corticis peruvani uſu febris fatiſcebat, ulcus depuratum, & æger 28. Jan. 1777. ſanus e noſocomio diſceſſit.

Nota.

1) Pus eſſe generatum, idque copioſum extra thoracem, absque febre notabili, & homine ορθοστάδην laborante.

2)

2) Hinc capitur, quomodo inflammatio pulmonum *latere* poſſit, atque in letalem phthoiſin abire, quin valdopere ægrotare videatur homo. Hinc pernicies pleuritidum, & peripneumoniarum intelligitur.

3) Nulla facta obſervabatur exfoliatio coſtarum.

Observatio II.

Hæmoptoë.

Figulus 28 annorum, macilentus, habitu corporis ſubictericio, per 19 fere annos, inclinato corpore vaſis ex argilla effingendis operam navans, menſe Junio 1777, poſtquam ad ignes vehementer excaleſceret, corpore æſtuante vinum affatim hauſit. Inde tuſſis, ſenſim ita aucta, ut vehemens inter tuſſiendum conſtrictionis in pulmonibus ſenſus oriretur. Menſe Novembri, cum ingens pondus argillæ levaret, oborta mox tuſſi, cruenta ſputat, ſpumantia, floridaque, validas inter ad ſcrobiculum oppreſſiones. Vena bis ſecta, intra quatriduum hæmoptoë ceſſabat, ſuperſtite

R 2 ta-

tamen catharrhoſa pulmonum affectione. Ad conſuetos interim labores rediit.

6 abhinc ſeptimanis iterum ſanguinem ſputat; venæ ſectione ſputum mox compeſcitur; at catarrho non ceſſante, poſt 14 dies ſputa iterum ſanguinea, pauca tamen, brevi diſparentia.

16. Martii 1778 veſperi ſanguinem iterum inter validiſſimam tuſſim, copioſum rejecit. 18 ad nos defertur. Cephalalgia valida, inter tuſſiendum plurimum aucta. Lingua albeſcens. Calor per vices. Tuſſis frequens, ſputa cruenta, & ſtricturæ in thorace ſenſus. Pulſus fortis, plenus, naturali parum celerior.

Detractæ ſunt unciæ v ſanguinis; habuit cruſtam craſſam flavam, non contractam. Decoctum eccoproticum. Nocte illa copioſa cruenta ſputabat. Tuſſis non valida. Sputa ſimul glutinoſa. Dolor ad cartilaginem mucronatum, inter tuſſiendum.

Die 21. Emeticum. Ne lineola ſanguinis inter vomendum. Poſt vomitum perparum ſputabat cruenti. Nihil prorſus incommodi, niſi ſi aliquid ſanguinis rejectaret, quod ipſi ab infima ora coſtarum ſpuriarnm lateris dextri videbatur ebullire.

Spi-

Spiratio bona, bonus decubitus; rarior faciliorque tuſſis a vomitu; vomuit autem pauca, pituitoſa.

Die 22. Nil prorſus cruenti. Die 23. denuo aliquid cruenti noctu. Die 24. & 25. nil prorſus cruenti; pauca mucoſa; appetit. Hucusque ſumpſit poſt emeſim decocta eccoprotica, ex gramine, taraxaco, cichoreo, & dr. iij. arcan. dupl.

Die 26. ſine ullo ullibi incommodo, & rariſſime, & pauca mucoſa, & ſine ullo ſanguine tuſſit. Decoct. gram. cich. turax. cum gr. ij. tart. emet.

Die 30. Martii diſceſſit ſanus, etſi ipſum libenter diutius retinuiſſem.

OBSERVATIO III.

Febris maligna.

Juvencula 23 annorum, fluorem album biduo triduove poſt catameniorum fluxum habet, album, flavum, viridem, mixtum, idque ab anno ætatis 18vo. Catamenia pauca, ſed ordinata. Ultima vice menſtruum fluxum habuit initio mensis Maji.

Die 15. Maji 1778. graviter ira excandduit; mox ira & exercitio corporis æſtuans frigidam haurit. Inde cephalalgia, oris amaror, veſperi horripilatio levis, ſed diuturna, & dedolatio, ac inappetentia; atque ita quotidie eodem ſe modo habuit usque ad 22. Maji; eo die decubuit. Cephalalgia magna, gravis tinnitus, & ſuſurrus; calores, & frequentes ſimul horrores, tuſſicula, amaror, major proſtratio virium. 23. idem ſtatus. 24 Maji eadem omnia. Hoc die tuberculum hæmorrhoidale, quod ægram jam a menſe integro vexabat, ruptum eſt, & pauxillum ſanguinis profudit; per uterum quoque aliquid ſanguinis abiit, & per nares; vomuit ſemel ſponte amara. 25. Eadem. Fit venæ ſectio; cruſta flavovireſcens; non levatur. 26. Maji eadem.

27. Maji ad nos venit, gena modo utraque, modo alterutra intenſe rubente, flavedine interim pone labia & nares. Magna virium proſtratio. Febris meridie & veſperi magna; amaror. Lingua prærubra, humida; petechiæ lenticulares.

Die 28. vomuit amara, lenta, dato ſcilicet emetico; ſed ante & poſt vomitum petechiæ in pectore & brachiis puncticulares

res pleræque, paucæ lenticulares. Veſperi etiam eruptio morbillis ſimillima in facie, brachiis, pectore, femoribus. Caput a vomitu allevabatur.

29. Maji alvus aliquoties, febris continuat; urinæ naturalibus magis flavæ.

30. Febris pulſu non forti, nec tamen debili, calor. Nulla remiſſio, ſed idem febris tenor. Alvus aliquoties ſponte mota. Aqua cum ſpiritu vitrioli & ſaccharo. Infuſo - decoctum radicis arnicæ. Circa meridiem frigus; veſperi ſudor.

31. Mane emeticum. Bilioſa vomuit. Meridie frigus; veſperi ſudor. Decoctum corticis, & arnicæ; item cortex in pulvere.

1. Junii corticem in pulvere non tulit ſed revomuit. Hinc ſolummodo curavi dari decoctum arnicæ & corticis. Nullum frigus, nullus ſudor. Febris uti heri. Dedolatio ingens, rubor genarum, exigua auditus gravitas. Alvus nulla; urina nulla, dolor ſupra pubem. Lecto veſperi bis exempta & circumducta eſt; mox urinæ prodiere, naturalibus paulo magis flavæ, & mota alvus eſt cum incremento virium. Noctu dormivit placide, ronchos ducens

2. Junii, mane vidi colorem faciei minus rubrum, æquabiliorem, conſtantem. Ægra promptior, alacrior; auditus facilior. Doluit hypogaſtrium, in cujus media & infima parte tumor gibboſus, pugnum æquans, dolens aſſiduo, ſed maxime ad attactum obſervabatur. Lecto exempta, & circumducta eſt; minxit ſponte, & alvum poſuit; nihilominus curavi catheterem adplicari, quo duæ libræ urinæ adhuc detrahebantur; dolor hypogaſtrii plurimum minuebatur, non ceſſabat tamen ex toto.

Lingua aridiſſima, an ob morbum ipſum, vel vero ob id, quod forte noctu ſpiritum aperto ore duxerit? heri enim nares negabat eſſe pervias; calor minor; pulſus vegetiores quam heri.

Hodie dedi decoctum corticis, absque arnica, cum oxyſacchoro minerali. Urinæ naturalibus paulo magis flavæ. Veſperi & noctu multa urina cathetere educta erat, naturalis omnino; educebatur autem decumbenti & ſtanti; nullus poſtmodum dolor hypogaſtrii.

3. Junii omnia ut heri.

4. Junii febris mitior. Lingua a meridie humectari incepit. Decoctum corticis;

aqua

aqua cum ſpiritu vitrioli & ſacchoro. Urinæ copioſæ cathetere educi debebant. Noctes tranquillæ.

5. Lingua naturalis. Febris vix ulla; urinæ cathetere eductæ. Heri & hodie alvum ſubinde in lectum mittit; facies minus & rarius rubet.

6. Junii vix ulla febris. Alvum ſubinde in lectum mittit. Sponte bis vomuit, pauca, bilioſa, ſed oleum referentia, cum levamine. Mox emetico dato bilioſa multa vomuit, dejecitque; urinas a vomitu libere & ſponte mittere incepit.

7. Junii, nulla febris; urinas libere mittit. Decoctum corticis.

8. Denuo urina ſubſiſtit; nulla prorſus febris; bene habet. Decoctum corticis Libra j, & vini budenſis Libra una.

9. Bene per omnia. Urinam ſponte mittit; ſola ſurgit; leve ſubinde delirium.

10. Blande ſubinde delirat, ceterum bene per omnia. Surgit, obambulat; alvum & urinam ſponte mittit.

11. Surgit, obambulat; alvus & urina libera. Subinde remedia revomit; bene habet. Hinc omiſi decoctum corticis; dedi ſolum quater per diem cochleare elixirii

ſtomachici temperati, parumque vini; aſſa poma valde appetit, & conceduntur.

17. Per aliquot dies rariſſime vomit, appetit; utitur parco iterum corticis decocto.

Cum per aliquot dies in diætam peccaſſet, omni veſpera leviori febris quotidianæ paroxysmo tentabatur; tenuis diæta, & uſus largior corticis profuerunt.

23. Junii commode habet; apyretos, obambulans.

7. Julii ſana diſceſſit.

Nota: 1) Vis iræ, mœroris, frigidæ aſſumptæ.

2) Morbus malignus, attamen non ita incepit *repente*, & cum magna virium proſtratione.

3) Indifferentia & anodynia non adeſt, etſi hæc a quibusdam malignarum febrium characteriſtica nota ſtatuatur.

4. Adſunt cauſæ manifeſtæ, eæque in primis viis, ſed quæ nunc ulterius progreſſæ ſunt.

5) Sanguis per nares, uterum, hæmorrhoides nil habent critici. Inde per ſe male deſumitur indicatio pro phlebotomia.

6)

6) An detur definitio malignitatis certa, an febris maligna ſit ſpecifica, an vero alterius febris gradus major?

7) Quandonam nomen febris pituitoſa, bilioſa, putrida, univerſim gaſtrica, nomen diſponit, & aſſumit nomen febris malignæ? ubi nempe venæ ſectio, ſolventia, & emeticum non inſigniter allevant.

8) Prognoſis anceps; an ob petechias? non: hæ enim ſubinde admodum ſunt innocentes, etiam non febriles; puncticulares meliores; latæ pejores, & ſæpe letales, non ut cauſa, ſed ut effectus.

9) In malignis febribus indicatio: 1) febris non lanqueat; 2) non tamen exorbitet; 3) nulla excretio ſit nimia; 4) nulla ſubſiſtat. Dandus cortex in larvatis cum periculoſo ſymptomate, cum phrenitide, cum convulſione, apoplexia, letargo, ingenti debilitate.

10) Exemtio ex lecto, & circumductio per cubiculum, quanti ſit, apparebat ex hac hiſtoria.

11) Non tamen fidendum ſpontaneæ excretioni urinarum, ſed ſimul explorandum hypogaſtrium.

12) Linguarum ariditas eſt vel ob morbum ipſum, vel ſolum ob id, quod æger dormierit ore aperto.

13) Bene ominandum in malignis, ſi ceteris bonis nulla ullibi topica affectio in abdomine, thorace, &c. dolor præcipue obſervetur, aut dolor obſervatus brevi iterum evaneſcat; ſecus ibi figetur morbus, fietque inflammatio & gangræna.

14) Urinæ profundi coloris, brunei, caſtanei, item quales ictericorum eſſe ſolent, niſi breve dilutum flavum colorem induant, malæ perquam ſunt.

15) Delirium convaleſcentium cortice, amaris, vino rubro, exemtione e lecto, tempore &c. curatur.

16) Recidivæ ſæpius letales poſt malignas; id vidi pluries.

17) Prognoſis malignarum etiam ex opificio petitur; ſic febres ſutorum graviſſimæ:

18) Vomitiones convaleſcentium a nimia remediorum alias indicatorum doſi.

19) Somnus febrim quamcunque intendit.

20) Graviſſimum monitum, ut in curanda febre maligna, præcipue lenta nervo-

ſa,

ſa, *lente feſtinemus*, neque tumultuarie agamus. Morbum non pejorari, jam eſt proficere, utcunque in longum morbus trahatur. Methodus tumultária autem eſt ea, quæ veſicantibus, venæ ſectionibus, ſtimulantibus, aromaticis febrim impugnat.

21) Alvus cruenta, meraca, ſine dolore, copioſa, in malignis, lente nervoſis morbis aliquoties occurrebat, & tamen ægri curabantur omnes.

22) Sputum cruentum in malignis, dummodo non ſit copioſum, non erat letale. Erat ſignum incipientis inflammationis, non autem diſſolutionis humorum; tunc emollientia, & exigua venæ ſectio.

23) Vera febris maligna, ubi materies per corpus jam dilapſa, & intime humoribus eſt commiſta, ita, ut emetico non potuerit amplius evacuari, ſolet plerumque ocyus, ſerius, largis & continuatis ſudoribus, iisque ſpontaneis judicari. Finito ſudore ſubinde levis diarrhæa ſequitur ſponte (prodeſt tunc etiam aliquantum alvum abſtergere) cum levamine. Hoc ſæpiſſime vidi, in hac, in me ipſo, in infirmaria &c.

24) Affectiones topicæ pectoris, abdominis &c. *in initio* bilioſarum, putridarum, malignarum, minus ſunt periculoſæ; plerumque emeto catharſi tolluntur, una, aut duabus. At vero ſi *ſerius*, vigenteque morbo accedat affectio topica, dolorifica, ſique accedat præmiſſis ſolventibus, & emetocatharſi, tunc pravum ſignum eſt, & incipientis, aut latentis ibi inflammationis ſignum; tunc non evacuandum per os, nec per alvum, ſed *modica* miſſio ſanguinis, & *potus* emolliens, & fotus conſimiles, univerſim antiphlogiſtica methodus per aliquod tempus adhibenda erit, usque dum id evanuerit.

25) Sudores 1. repletorum paſtu, bile, putrida illuvie; 2. ſudores colliquantes; 3. ſudores indicantes, & ultimam criſin bilioſorum, putridorum, malignorum conſtituentes; 4. ſudores convaleſcentium utiles primo, dein vero roborantibus cohibentur; poſſunt etiam fieri colliquantes.

26) Pulſus durus 1. ſenum, 2. ſpaſticus in colica pictonum, hyſteria, 3. inflammatorum.

27) De venæ ſectione in bilioſis, in putridis, in morbis malignis, an in his

ſem-

ſemper proſcribenda? quibus ſub conditionibus, & qua quantitate ſanguis mittendus? Reſpondeo, ſi topica affectio in his morbis adſit, aut ſerius accedat, præmiſſo jam emetico plerumque id erit inflammatorium, erit nempe alicubi *ſtaſis*. Tunc emollientia topica ad partem. *Omiſſio* ſola ſtimulorum, & roborantium, & parciſſima venæ ſectio ſufficiunt, ſi pulſus ceteroquin admittat. Item in convulſionibus ſupervenientibus morbis malignis, tetano, opiſtotona &c. id fortunate adhibui.

Observatio IV.

Herniotomia.

Fœmina 44 annorum, ancillari officio ſemper functa, ſana ſemper, ante annum tumorem hernioſum, primo exiguum, ſubinde tamen ſponte evaneſcentem, inter decumbendum præcipue, prodire ſenſit. Incommodi inde nihil habuit.

Die jovis, cum bacchonalia celebraret cum aliis, & largius braſſica non fermentata veſperi veſceretur, alvum ponebat difficilem,

cilem, caprillam, & parcam. Nox bona; alvus nulla.

Die veneris vomitus aſſumptorum omnium, tormina, dolor videlicet ſcindens, ardens, continuus, per intervalla graviſſimus diriſſimusque, a ventriculi ſumma regione per totum abdomen ad pubem usque. Tumor herniofus major, quam unquam alio tempore, at *indolens*, etſi etiam contrectaretur. Die ſabbati vomitus frequentes, male olentes, & aſſumptorum. Die dominica, lunæ, martis, mercurii, vomitiones ſtercoreæ, crebræ, & tormina totius abdominis.

Die Jovis 5 Martii 1778 ad nos delata eſt. Perſtant dicta ſymptomata. Pulſus naturalibus vix crebriores, ſed vibrati. Huc usque nulla alvus, jam inde a die jovis ſeptimanæ præcedentis.

Hernia enim cruralis ad crus dextrum, magnitudine ovi gallinæ. Mox venæ ſectio larga facta eſt; cataplasmata emollientia; emolliens decoctum interne; enemata emollientia, leviter irritantia. Manu reponi prolapſum viſcus non poterat; tumor non dolet, nequidem contrectatus, niſi rudiſſime.

Die

Die Veneris; præterita nocte vomuit ſter- corea olidiſſima; mitior abdominis dolor; al- vus pauciſſima, enemata ſollicitata. At idem tumor, viſcera non reponibilia; hinc hoc mane ſectio facta eſt.

Saccus octo circiter lineas craſſus, durusque valde fuit; eo diſſecto ſeri flaven- tis pauxillum profluit. Inteſtinum profunde rubrum, aëre diſtentiſſimum & plenum erat. Craſſiſſimum ſacci initium, idque peranguſtum & longum inteſtina ſtrangula- bat, ita, ut ligamentum Poupartii minus viſum ſit ad ſtrangulationem contuliſſe, plus vero ſacci hæcce anguſtia.

Diſſectum hoc ſacci collum eſt median- te biſturi cavato ſpecillo directi. Is mo- dus præplacuit præ inſtrumento *dilatatorio* compellato; etenim id difficillime applica- tur, applicatum non ſatis alte intra abdo- men adigi poteſt, *diſtrahendo* dolores ni- mios facit, & contuſiones partium vicina- rum. Atque in præſente caſu ſaccus fer- me cartilagineus omnem ferme vim elu- ſiſſet.

Finita operatione datum eſt decoctum de althæa, enemata oleoſa.

A ſectione alvus ſponte mota ſæpe eſt; absque ullo fere alio adjumento convaluit; poſt initium Aprilis ſanata.

Nota: 1) En doloris abſentiam in loco hernioſo, quod ſæpe efficere poteſt, ut ægri herniam ne quidem commemorent; hinc in omni dolore colico, præcipue, ſi alvus obſtructa ſimul adſit, interrogandum, & inquirendum eſt in hernias.

2) Non placet *le Blancianum* inſtrumentum; difficillime adplicatur; una manus inſtrumentum tenet, altera deberet *ſola* repoſitionem tentare. Placet cel. *Richteri* admonitio: quid ſi forceps eſſet, uti ſpeculum uterinum?

Ceterum nota: 1) dolor in perſcindenda cute vividior poteſt minui, ſi extremi ſectionis fines atramento notentur, & elata atque utrinque digitis comprehenſa cutis uno fere tractu, atque una cultelli applicatione perſcindatur.

2) Membranarum diviſio, & perſciſſio ſacci absque ferme dolore fuit.

3) Id attendebatur, ut complicatum inteſtinum *explicetur*, ut *modice protractum*

exa-

examinetur, an non parietes cohæſerint; id quod ſedulo advertendum.

4) Emollientia ne hilum profuiſſent curante ſcopo; aërem enim rarefaciunt. Frigida, & ipſa glacies, ob ſolum contentum aërem frigore condenſabilem, ante inflammationem plus profuiſſent, ſi ſaccus fuiſſet tenuior, & ad contractionem, corrugationemque magis idoneus.

5) Purgantia non dedi, nec fumum nicotianæ; hæc enim in initio, & conſtrictione non valida, & accedente manus chirurgicæ repoſitionem tentantis auxilio, ſubinde utilia ſunt.

6) Saccum reſcidimus.

Observatio V.

Hemiplegia a fumo carbonum.

Vidua 32 annorum, ſemper ante ſana, & corpore pinguiculo, die mercurii cubitum petens carbones fabriles ſuccendit in furno portatili, eumque in anguſto cubiculo collocat.

Die ſequenti ſurgit temulenta, vertiginoſa; coquæ munere fungebatur eo die, ſed minus expedite.

Die veneris mane evigilans (cubiculum non erat eventilatum, luſtratumque, manebant enim carbones in cubiculo) immobile crus totum dextrum cum femore, & ejusdem lateris brachio. In acetabulo femoris dextri, & rheumaticus ad humerum dextrum dolor. Fit venæ ſectio, cum nullo levamine.

Die ſabbati ad nos venit, cum imperfecta hemiplegia. Mixtura ſalina. Alvus ter; paulo melius; os mucoſum.

Die Dominica, 7. Dec. dato emetico a meridie, vomuit multa bilioſo - pituitoſa. A vomitu & alvo mota, mox movendi plena facultas, & dolor artuum minor.

Poſtea ſalina, eccoprotica; ad acetabulum veſicans; tandem paucos poſt dies plena ſanitas.

mis

Observatio VI.

Puerpera ex nimia ſuppuratione brachii & febre æſtiva anni 1777. febricitans.

Fœmina 40 circiter annorum, colore flaveſcente per omne corpus diffuſo, ſexto nunc menſe gravida, a ſecta nuper brachii vena, læſaque aponeuroſi inſigni tumore dextri brachii inflammatorio corripitur, & valida febre laborans 3tia Julii 1777 ad nos venit. Data ſolventia antiphlogiſtica; cataplasma dolenti parti applicatum; alvus moroſior clyſteribus ſollicitata. Manifeſta elapſo triduo tumoris fluctuatione, ſectione facta pus bonum educitur. 10ma Julii ſuppuratio latius ſerpiſſe, atque duos ſuperiora verſus ſinus effeciſſe deprehendebatur. Dilatatum eſt vulnus, haud absque magnis ægræ doloribus. Sera veſpera partus dolores; aquæ profluunt; ſitus infantis præternaturalis detegitur, aure ſcilicet ori uterino obverſa. Abſoluto itaque verſionis negotio, mater gemellos peperit, absque ullis ferme vitæ indiciis; ſtimulantibus remediis ad vitam excitati; at trihorio elapſo infans uterque moritur.

Sequenti poſt partum die febris exacerbatio. Vulnus amplum, ſuppuratio larga. Dolor totius abdominis attactu auctus. Lingua impura, cephalalgia. Alvus & urina, ob læſos ſub verſionis negotio ani & veſicæ ſphincteribus, ægra inſcia in lectum dejiciuntur, maxime dum tuſſitat, aut ſternutat. Febris veſperi aucta cum levi horripilatione; mane 14. Julii vix ulla. Pus ex ſuppurante vulnere profluens tenuius, quam oportebat. Decoctum corticis peruviani, & fæces vini pudendis applicatæ.

At omnia inde pejora; dolor abdominis nec minimum emendatur; lingua ſicca, arida; eadem alvi & urinæ incontinentia. Febris perſtat.

Die 17. Julii dato emetico magnam bilis & pituitæ copiam rejecit. Inde cephalalgia & dolor abdominis evanuere, lingua humectari incipit. Eadem tamen alvi & urinæ incontinentia; circa veſperam pulvis radicis arnicæ.

Melior ſenſim puris conditio; febris mitior, tandem nulla; alvus nunc minus frequens, & cum urina in excipulum, monente id ægra, miſſa.

Per-

Perſiſtente diarrhæa, etſi minus larga, data eſt die 25. Julii arnica ad ſcrupulos duos omni bihorio.

26. Mane theriaca; omni bihorio radix arnicæ, ad ſcrupulos duos.

27. Sumit omni bihorio drachmam unam pulveris arnicæ. Urinam modo retinet niſi inter dormiendum. Alvus multo rarior. Bona ſuppuratio, & mundum ulcus.

30. Febris nulla a longo tempore. Pus bonum; ulcus mundum; appetitus. Alvus quater intra 24 horas.

1. Aug. Alvus ſemel. Bene per omnia. 4. 5. 6. 7. Aug. cubiculum obambulat.

Cum hucusque hinc inde collectiones exiguæ purulentæ fierent, & ulcera dein ſiccefcerent, cum totum brachium œdematoſum eſſet, continuata eſt arnica. Victus reſtaurans ex carnibus & vino. Inde circa 28 bene ſe habuit, & ulcera fere conſanata.

Observatio VII.

Hœmorrhagia uteri a vitio gaſtrico.

Fœmina 38 annorum, trium prolium mater, a ſeptem menſibus de cardialgia,

ponderis in ventriculo ſenſu, & Inappetentia conqueritur. Ante tres circiter ſeptimanas acceſſit amaror oris, ſitis, & ſubinde diarrhæa levioribus torminibus ſtipata.

Ante 5 ſeptimanas menſes ſtato quidem tempore redierunt, ſed copia non magna; at in quintam fere ſeptimanam protracti, unde magna virium ruina, atque omnium ſymptomatum augmentum. Vergente quarta ſeptimana fluxus ſenſim minuitur, & tandem ſubſiſtit.

6 Martii 1778, cum jam ab octiduo ſanguinis profluvium ſubſtiterat, cum per 14 fere dies vagæ per vices horripilationes præceſſerint, cholera corripitur, per tres circiter horas ægram vexante. Ad nos defertur; cephalalgia, os amarum, lingua bilioſis ſordibus obſeſſa, ſitis; validæ ad ſcrobiculum oppreſſionis ſenſus; tormina per vices; febricula. Mixtura ſalina.

Die 8. Martii pondus ventriculi; tormina levia; vomituritio; os amarum, lingua bilioſiſſima. Emeticum. Bilioſa vomuit. Cardialgia nulla.

Die 9. 10. Sumit ſolventia ex gramine cichoreo, taraxaco.

Pe-

Die 12. amara ſtomachica. Bene habet. Die 17. ſana diſceſſit.

Nota Quod ſi morbus hic evadat chronicus, tunc non curabis emeſi, aut ea non ſola. Adeſt tunc laxitas, ſenſim emendanda.

Observatio VIII.

Febris lenta nervoſa.

Puella 20 annorum ob ſuſpicionem furti in carcere concluſa tenebatur ſeptem integris ſeptimanis; tandem comperta ejusdem innocentia dimiſſa eſt. At biduo poſt, tanquam nulli ſervitio addicta, denuo noctu in cuſtodiam abripitur; verum altero mane, cum nullius rei noxia eſſet, & alterum ſibi ſervitium quærere aſſereret, dimiſſa eſt. Graviſſimum, præcipue hac altera incarceratione 28. Aprilis, terrorem paſſa, mox ea nocte ægrotare cœpit. Vagæ enim horripilationes caloribus interpolatæ, oris amaror, inappetentia, dedolatio. Die 1. Maji acceſſit dolor punctorius a medio ſterno, ad infimam usque ejus oram, ponderis ſenſus in regione epigaſtrica, & artuum do-

lores vagi; 3 Maji ſumpto ſale amaro 16ies dejecit; magna inde debilitas.

5. Maji ad nos venit. Cephalalgia, os amarum, calor & pulſus ferme naturalis. Mixtura ſolvens; enema. A meridie febris exacerbatio. Noctu bis alvum poſuit.

6. Maji Febris. Nullus thoracis dolor. Os valde amarum. Emeticum; vomuit paucam pituitam; noctu alvus ſemel mota.

7. Maji Sapor oris emendatus; minus calet; urinæ jumentoſæ. Maculæ in brachiis ſcarlatino exanthemati non abſimiles; faucium levis rubor, & dolor.

8. Maji Emeticum. Bilioſo-pituitoſa, pauca. Maculæ pauciores, pallidiores; cetera eadem. Veſperi levis in thorace medio oppreſſio, quæ, pauco ſanguine tuſſi rejecto, diſparuit. Tunc autem venæ ſectio inſtituta eſt ad uncias quinque. Sanguis cum veſtigio exiguæ, diffuſæ, cinereæ, lividæque cruſtæ.

9. Maji reſpiratio bona, nulla oppreſſio. Mens conſtans exacte ſemper, decubitus in omnem partem facilis ſemper. Pulſus naturali tamen ſemper celerior, debitæ fortitudinis, at calore corporis magno, & ſubinde veluti urente. Somnus; tranquil-

litas

litas; decoctum corticis; aquam cum ſpiritu vitrioli & ſaccharo, veſperi hujus diei prima vice dedi. Sanguinis identidem pauxillum ex utero, ſubinde ex naribus ſtillabat, urinæ paucæ, profundiſſime flavæ, absque hypoſtaſi. Nulla hucusque ſitis; non niſi coacta bibit.

10. Maji omnia uti heri. Hucusque alvus non niſi enemate ſollicitata reſpondet.

11. Maji. Alvus hodie ſponte ſoluta, bonæ notæ. Febris eadem, eodem tenore. Urinæ coloris minus profundi, & copia majore miſſæ. Nullus ullibi dolor; mens exacte conſtans, & tranquillitas quaſi hominis meditabundi. Color faciei, uti ſanorum, decubitus in omne latus facilis. Hoc die comperi, ægram ab aliquo tempore gravi mærore perculſam eſſe, ob amaſium aufugientem, cum militiam metueret.

12. Maji meditabunda, ſomnolenta, febriens uno tenore. Veſperi lecto exemta, & per cubiculum circumducta. Alvum & urinam miſit ſponte, & multo cum levamine. Decoctum corticis; urinæ minus profundi coloris, uberiores.

13. Maji Mens minus meditabunda, minus ſomnolenta; minus febrit. Lecto

exi-

eximitur; alvum ſponte ponit; urinarum proventus minus coloratarum, naturaliorumque.

14. Pulſus & calor vix febrilis; ſomnolentia minor; laſſitudo major; urinæ heſternæ; indolentia.

15 & 16 pulſus & calor naturalis, vix ulla ſomnolentia. Magna virium ruina. Vino rubro & cortice utitur.

Die 16. Maji urinam inſcia in lectum miſit. Alvus enemate ſollicitata.

17. Maji. Pulſus hucusque ſat fortis, debilior nunc eſt, celeritate naturali, uti & naturali calore. Mentis præſentia plena, & omnium adcurata cognitio; indolentia. Tuſſis accedit cum ſputo difficili, tenaciſſimo, albido, ſpumoſo. Collapſa facies, & color palleſcens, qui antea lætus erat, ſanorum inſtar.

Duo ad femora veſicantia; ad ſuras epiſpaſtica; infuſum arnicæ, & decoctum corticis peruviani cum vino rubro.

Veſperi pulſus elatior, ſudor æquabilis per totum corpus; ſuapte, & non interrogata ſubinde alios apte alloquitur; alacritas major. Urinam inſcia in excipulum

miſit, natural paulo magis flaveſcentem. Subinde aſſumpta, præcipue juſculum, evomit.

18 Omnia uti heri. Subinde aſſumpta revomit, præcipue juſculum; ſputa nulla, tuſſis nulla; urina in lectum mittitur; alvus enemate ſolvitur.

19 Hodie *parcos*, ſed frequentes curavi dari doſes roborantium; decocti videlicet corticis peruviani ℔ 1 cum unciis iij. vini rubri per 24 horas; alacrior eſt, & vegetior; circumſtantes alloquitur, ſollicita de aliorum, quibuscum in uno cubiculo verſatur, ſanitate. Pulſus naturalis. Rarius aſſumpta revomit.

20 Alacrior eſt. Semel juſculum vomuit; vegetior; matulam petit; erectam ſe facilius ſuſtinuit.

21. 22. 23. Convaleſcit. Vinum rubrum; elixir ſtomachicum quater per diem. Urinæ cum ſedimento lateritio.

28 Maij ſola ab aliquot diebus cubiculum obambulat; ad usque hodiernam diem ſubinde juſculum, vel & alios cibos vomuit, itemque ſæpius pituitam ductiliſſimam, ſolam absque aſſumptis. Vinum & elixirium retinuit.

Nota:

Nota : 1) Die 19 Maij dedi parcas omnino doſes roborantium. Certa enim eſt obſervatio, *nimias*, vel indicatiſſimi roborantis remedii doſes, *ſua mole* ventriculum gravare, & virium incrementa ſuſpendere.

2) Quæritur, an in febribus malignis doſes roborantium, corticis &c. poſſint determinari? *pauciores* enim doſes non ſufficient, *largiores* imbecillem ventriculum offendent.

3) Vis mæroris & terroris febres peſſimas, lentas, & nervoſas efficit.

Observatio VIII.

Aſthma pituitoſum.

Puella 22 annorum, lotrix, ante 5 annos tempore autumnali nudis ſæpe pedibus per Danubium incedens, affectione catarrhoſa corripiebatur. Catarrho hoc per biennium fere neglecto, menſe Februario 1777 malum hoc ita tandem exacerbatur, ut ægræ, ob tuſſis vehementiam, ſuffocationis periculum inſtaret. Vena bis ſecta, & emollientium remediorum uſu, tuſſis plurimum

rimum mitigabatur; manſit tamen aſſidua catarrhalis diſpoſitio, per vices exacerbata. Sequenti autumno rara omnino tuſſis, & ægra commode ſe habuit. At proxima hyeme, tempeſtate madida, de die per plateas nive plenas oberrans, noctu vero in humido cubiculo degens, tuſſire iterum & de pectoris oppreſſione conqueri incipit. Augetur tuſſis de die in diem; ſex ultimis ſeptimanis alvi difficultas accedit.

6 Februarii 1778 in noſocomium ſuſcipitur. Cephalalgia, os mucoſum, inappetentia; vomitus inter tuſſiendum. Reſpiratio aſthmatica, oppreſſio pectoris; decubitus diuturnior, ob reſpirationis difficultatem, fere impoſſibilis; Febris vix ulla. Enema ſolvens. Mixtura ſalina.

8va Emeticum. Vomuit aliquoties pituitoſa, ſæpius dejecit, cum levamine. Rarior enim tuſſis, reſpiratio liberior, & decubitus in omnem partem. Noctu morbus iterum exacerbatur. Paregoricum; pejus inde habuit hac nocte.

9 & 10 tuſſis rarior, at difficilis denuo reſpiratio, & orthopnœa. Nil, aut perparum motuum febrilium adfuit. Sputa copioſa, ductilia pleraque, & pellucida,

præ-

præcordiorum & thoracis quaſi conſtrictio, illorum tamen validius, quam hujus. Mixtura ſolvens.

12. Emeticum; vomuit bilioſo-pituitoſa multa, evidenti, & maximo cum levamine. Mox enim decubuit, facile ſpiravit, raro tuſſivit; pauciſſima ſputavit. A meridie datum decoctum graminis, taraxaci, cichorei, cum oxymelle ſquillitico, & tartari emetici granis ij. Nox bona, ſomnus recreans, decubitus facilis, & rara tuſſis.

13. Bene habet. Rara tuſſis; at veſperi orthopnæa, tuſſis; nox fere inſomnis.

14. Martii eidem decocto addidi oxymellis ſquillitici unciam Iß, & tartari emetici grana iij. Enema. Vix ulla tuſſis; decubitus interdiu facilis, noctu denuo difficilior, attamen facilior, quam antea. Hucusque plerumque erat reſpiratio ſibiloſa.

15) Idem decoctum cum tartari emetici granis iij, arcani duplicati granis iij. Vomuit ſæpius per diem pituitam ductilem. Nulla jam tuſſis; vix ulla hodie pectoris oppreſſio; ſpiratio non ſibiloſa; decubitus facilis.

16.

16. Decoctum idem cum oxymelle ſquillitico, & granis iij. tartari emetici; ſubinde, ſed raro per hos dies vomuit; nulla tuſſis; nulla oppreſſio.

17 & 18. Decoctum lichenis cum oxymelle ſquillitico, & tartaro emetico.

Die 23 bene per omnia habens diſceſſit; retineri diutius in noſocomio non potuit, etſi libenter curam confirmatoriam diutius produxiſſem.

Nota: Aſthmata talia curavi etiam gummi ammoniaco, vitello ovi ſoluto, ad ſcrupulos ij. — drachmam 1. per 24 horas.

Observatio IX.

Herniotomia.

Fœmina 50 circiter annos nata die 19 Nov. 1778 mane adhuc in lecto incarceratam herniam deprehendit; tormina graviora eo die, & crebra vomitio *bilioſa*, alvus nulla. Decubuit; horripilationes, & intermixti calores; ſitis.

20. Die Sabbati eadem omnia. Tormina vaga, at aſſidua, mitiora quam pridie; vomitio minus crebra aſſumptorum, & bilioſa.

21. Mitia hæc valde. Non vomuit; decubuit aſſiduo. Leves horripilationes & calores.

Die 22 ad nos venit. Venæ ſectio mox facta; cataplasmata ad totum abdomen adplicata. Tormina mitia leviaque at aſſidua, ſed nullibi fixa, maxime tamen circa umbilicum. Mane non vomuit. Enemata crebra, emollientia; ſolutio diluta ſalis amari per epicraſin. Veſperi vomitio aſſumptorum, & modice fœculenta, crebra. In loco hernioſo hucusque nullus, niſi ad attactum, dolor, ſubinde tamen etiam extra attactum.

Mox ſemicupia impoſita; repoſitio tentata; ſed fruſtra. Vomuit. Opium datum; dein per noctem denuo ſolutio ſalis amari per epicraſin. Denuo fruſtra repoſitio tentata eſt.

Pulſus modice celerior naturali; leviculi calores, horripilationesque, levia tormina, & ad attactum vix aucta. Tumidulum abdomen hucusque; borborygmi, flatus ἄνω.

Mane die 24. Nov. herniotomia feliciter inſtituta. Poſt $\frac{1}{4}$ horam alvus, & dein ſæpius ſponte, & inter levia tormina de-

coc-

coctum altheæ; cataplasma emolliens. Nocte ſequente febricula.

Die 25 Nov. Mane levis febris; alvus aliquoties ſponte poſita; vix ullus dolor in abdomine, niſi inter dejiciendum, isque levis.

Uſa eſt lichene islandico ob tuſſim antiquam; ſputa glutinoſa, copioſa, puriformia.

Circa medium Decembrem febrire veſperi mane, & noctu cœpit. Cephralalgia, albida lingua; ſolventia, & dein applicato brachierio emeticum; demum graminis taraxaci, cichoreique decoctum cito rem in integrum reſtituerant.

Circa finem decembris 1778 cubiculum ſana obambulabat.

Nota: Suſpicor herniæ incarcerationem factam eſſe ob *latentem ſaburram*, quæ flatibus diſtenderit inteſtina, & protruſerit. Nulla vis, nihilque extra ordinem anteceſſit.

Obsevatio X.

Hydrothorax.

Vidua 46 annorum, elapſa hyeme humidum cubiculum inhabitans, faucium aſperitatem per vices redeuntem ſenſit, absque ulla tamen pectoris oppreſſione, aut tuſſi. Menſe Martio catharrho affligitur, per intervalla aucto, atque ſenſim iterum mitiori facto. Venæ ſectione inſtituta, ſanguine absque apparente cruſta, catarrhus rediit, cum pectoris oppreſſione, reſpiratione difficili, & cardialgia. Menſe Majo aſſidua pectoris oppreſſio, tuſſis vehementior, & reſpiratio ſibiloſa. Noctu omnium ſymptomatum exacerbatio. Fit iterum venæ ſectio; at morbus continuo increſcit.

Ante quatuor ſeptimanas, ſanguine iterum educto, nova, & majora mali incrementa. Summa enim reſpirationis difficultas, anxietas, repentina noctu e ſomno excitatio, cum metu ſuffocationis, orthopnœa; ab aliquot diebus mane pedum œdema.

Die 28. Septembris ad nos venit Magna reſpirationis difficultas, oppreſſio thoracis aſſidua, tuſſis frequens; cardialgia inter

ter tuſſiendum aucta; alvus ab aliquot diebus obſtructa; urina copioſa, aquoſa; leve pedum œdema; ſitis; pulſus & calor naturalis. Mixtura ex aqua petroſelini, fœniculi āā unc. iij. Pulv. ſquill. gr. VI. Oxymel. ſquill. roob. junip. āā unc. j. Enema.

29. Sept. Magna noctu reſpirationis difficultas, & thoracis oppreſſio, ut totam noctem in lecto ſedens ægra tranſigeret. Urinas miſit copioſas & aquoſas. Squill. gr. X.

30. Sept. & 1 Oct. Nulla noctu oppreſſio.

5. Octobris. Hucusque nulla pectoris oppreſſio; ſomnus bonus, cardialgia minuitur; pruritus in gutture adhuc durat.

7. Oct. Somnus hucusque bonus. Pectus penitus emendatum, cardialgia levior. Repetita mixtura diuretica, & ad firmandos ſenſim pulmones datum eſt decoctum polygalæ cum liquiritia.

18. Mane queſta eſt denuo oppreſſionem pectoris, & repentinam illam ſuffocationem a primo ſomno, cum mixtura diuretica ab octo diebus intermitteretur, & ſolum polygalæ decoctum præſcriberetur.

Data eſt ergo denuo eadem mixtura, & 19 Octobris bene ſe dormiviſſe ajebat.

21. Sana diſceſſit; ſuaſi tamen, ut ſquillam continuet. Citius abivit, quum oportebat.

OBSERVATIO XI.

Aſthma.

Chirurgus 26 annorum, ante tres annos tempore hyemali aëris viciſſitudini plurimum expoſitus, catarrho afficitur, per 14 circiter dies durante; muneribus ſuis interim fungebatur. At inde per ½ fere annum conſtrictionis in pectore ſenſus, & reſpirationis difficultas. Sequenti æſtate pleuritide corripitur, quatuor venæ ſectionibus, & emollientium remediorum uſu ſanatus. Sanus per medium annum. At poſtea, inter validos iterum corporis motus, priſtina pectoris oppreſſio, & reſpirationis difficultas rediit, per novem fere menſes aſſidua, donec iter Viennam faceret, tempore humido pluvioſoque. Omnia inde pejora.

22. Nov. 1778. ad nos venit. Inſpiratio ſonora, ſibiloſa, ſtrepens; circa caput aſperæ arteriæ videbatur impedimentum eſſe. Exſpirabat tamen ſine ſonitu, & longiſſimis tractibus eloqui poterat, absque nova inſpiratione. Thoracis per vices quaſi conſtrictio.

Veſperi & noctu pejus habuit, ita, ut ſurgere, & obambulare debuerit; meridie mitius. Pulſus pleni, præduri, quales ſubinde in gravi ſolent eſſe inflammatione, aut potius, quales in colica ſaturnina. 23 & 24 eadem noctu; mali exacerbatio.

Die 25. Venæ ſectio; a prandio paulo melius ſe habuit. Veſperi emeticum. Poſt emeſin nec minimum prioris incommodi veſtigium; nox placidiſſima.

26 & 27. rediere noctu paroxysmi; e lecto ſurgens mox bene ſe habet; poſt mediam noctem placidus ſomnus; uſus eſt refracta doſi ipecacuanhæ. Evidenter emendabatur, & die 10. Dec. ſanus e noſocomio diſceſſit.

Nota: Eodem tempore tres alias aſthmaticas habui, unam cum ſtrepente reſpiratione, tuſſi magna, & ſputis albumen ovi exacte referentibus, aut ſperma ranarum.

Hæc ſputa emeticum primo, deinde vero refractas doſes ipecacuanhæ, aut flores arnicæ indicarunt, ſubinde ſolum emeticum. Habuit ſimul quartanam triplicem; primo die ſalina, ſecundo autem emeticum cum ingenti levamine, abſterſo aſthmate; mox dein uſu decocti florum arnicæ primo quartana ſimplex, dein brevi nulla. Alteri, ex aſthmate bilioſo, profuit emeticum. Tertiæ ex aſthmate ob hydrothoracem, profuit ſectio.

OBSERVATIO XII.

Hernia incarcerata.

Piſtor 24 annorum a biennio herniam inguinalem habet, quæ ſæpius prolapſa facili negotio ſemper reponebatur. 2. Junii 1777 hernia incarceratur, totum abdomen valde dolet; tumor hernioſus non magnus, rotundus, mobilis, ſed radice firma, conſtrictiſſimaque. Alvus ea die ſemel poſita. Facta eſt eadem die in noſocomio venæ ſectio, diæta ex meris juſculis, decoctum hordei cum oxymelle ſimplici, enemata emollientia.

Veſ-

Veſperi ſemicupium; ea nocte emollienti clysmati pauxillum ſalis addidi unde denuo alvus mota eſt; mox tumor minor, & minus durus fiebat. Repoſitio variis intervallis tentata, altero mane feliciter ſucceſſit.

Nota. Vomitus hoc in caſu necdum adfuit, & res intra ſolas vomituritiones ſtetit.

Præter duo cochlearia juris carnium tenuiſſimi, aquæ omni trihorio exhibebantur, aſſumpſit nihil. Cum non ſitiret, nihil, vel perparum decocti aſſumpſit. Oleum amygdalarum, quod in conſimili caſu propino, hac vice non dedi. Etenim vidi hisce præcipue in terris, ubi olei rarior in victu uſus eſt, qui hauſtus oleoſos nauſeant, & ingeſtos revomant.

Oleum amygdalarum odore quidem minus grave eſt, attamen cito ranceſcit, præcipue, ſi nec frigide, nec recenter expreſſum fuerit. Acrimonia rancida gravem utique inteſtinis inflammatis, atque in loco hernioſo ſugillatis, etſi facta etiam repoſitio eſſet, inferre noxam deberet.

Cum æger balneo immitteretur, id cavi, ne id calorem corporis humani multum ſuperet, atque humorum orgasmum hic

periculoſum, nimio calore ſuſcitaret. Præterea, quo diutius illi inſidere absque vertigine, & ſenſuum confuſione poſſit, ſedulo cavi, ne vapor calentis aquæ ad caput admittatur, & inſpirando atractus non perferendas anxietates faciat.

Hoc ſi neglexeram, nec diu ſufferre balneum poterant, nec optatum inde emolumentum experiri.

OBSERVATIO XIII.

Epilepſia.

Vinitor 26 annorum ante 10 annos a terrore vehementi vertigine frequenter corripitur; venæ ſectione inſtituta ſæpius ſopitum eſt malum, at tandem in epilepſiam tranſiit, quæ primo incertis intervallis affligebat, at dein ab anno circiter omni ferme 14to die, vertigine præcedente, ægrum corripiebat.

Acceſſit tunc æger noſocomium; acceptis a Medico, qui pauperibus ſolet præſcribere pilulis, & frequentia & vehementia paroxysmorum remiſit.

18. Octobris 1778 poſtquam vehementi ira exarſerat, validiſſimo paroxysmo corripitur.

Signa epilepſiæ prænuntia, vertigo, ſuſurrus aurium, & ſtrepitus quaſi in cerebro, atque ardoris in oculis ſenſus, hora circiter ante paroxysmum, ægrum de adventante morbo admonebant. Finito paroxysmo os amarum, & oppreſſionis in thorace ſenſus remanſit.

Venæ ſectio, ira, terror, ſpirituoſorum uſus morbum exacerbabant.

26. ad nos venit. Mixtura ſalina. Aliquoties dejecit; nox placida. Altera die circa meridiem paroxysmus epilepticus. Mixtura iterum ſalina. Noctu ſomnus; at altero mane amaror oris; lingua tenaci glutine obducta. Emeticum; vomuit pituitoſo-bilioſa.

Salina poſtea aſſumpſit, & cum poſt aliquot dies denuo os mucoſiſſimum evaderet, & ventriculo doleret, denuo datum emeticum; eadem vomuit; poſtea amaricantia.

Aliquot elapſis diebus paroxysmus rediit, non gravis, at ſolito multo citior, brevirique intervallo; os denuo mucoſiſſimum.

Du-

Datæ pilulæ ex galbano, camphora, maſſa pil. Ruffi circa 4. Nov.

Circa medium Novembrem, cum levis denuo inſultus epilepticus, attamen mentis conſtante præſentia, admonitio adeſſet, pulſus continuo eſſent repentes, humilesque, ac omni modo debiles, & os mucoſum eſſet, præcipue poſt inſultum, deſumpta indicatione a diatheſi debili, mucoſa, dedi corticis peruviani unc. β, cum drachma, extracti martis pomati. Inde ſenſim arteriis vigor, & animoſior vis, & a morbo immunitas.

OBSERVATIO XIV.

Catarrhus antiquus.

Sartor 22 annorum ſeptem abhinc annis prima vice pleuroperipneumonia leviori corripitur, ſputis copioſis, flavis prodeuntibus. Sæpius ab eo tempore, variisque anni temporibus ex hoc morbo decubuit, niſi venæ ſectione illum præpediret.

18. Martii 1778 mane frigore corripitur; os amarum, inappetentia; dolor totius lateris ſiniſtri punctorius, ad dorſum usque

ex-

excurrens, tuſſi & inſpiratione auctus; decubitus in utrumque lutus difficilis. Die 19. venæ ſectio; cruſta pleuritica, flava; nulla emendatio; eadem veſpera venæ ſectio repetita, ſine levamine. Altera die iterum inſtituta venæ ſectio; dolor parum minuitur; eadem tamen reſpirationis difficultas, & tuſſis.

21. Martii in noſocomium ſuſcipitur. Os amarum, nauſea. Dolor lateris ſiniſtri punctorius; reſpiratio difficilis; tuſſis frequens; ſputa copioſa, mucoſa; decubitus in utrumque latus difficilis; alvus obſtructa; pulſus celer, debilis; color faciei flaveſcens. Mixtura ſalina.

Altera die tuſſis rarior, & facilior in latera decubitus. Emeticum. Vomuit pauca, pituitoſa; ſæpius dejecit. Omnia emendabantur; reſpiratio facilior, tuſſis rarior, decubitus in utrumque latus; ſputa tenacia, quædam cocta. Decoctum graminis, taraxaci, cichorei, cum ſale medio.

Curatus ex aſſe eſt, & a præſenti morbo, & ab antiqua tuſſi. Egregiæ vires emeſeos, & decocti graminis, cichorei &c.

Ob-

OBSERVATIO XV.

Cynanche.

Fœmina 29 annos nata & maritata, ante annum, quinto graviditatis menſe abortum patitur; ab eo tempore ſana eſt, & regularem patitur fluxum menſtruum. Ante 14 dies conſueta catamenia redire debuerant, non tamen redierunt.

$\frac{23}{1}$ Jan. 1779. frigere cœpit præter morem, capite dolere, dolere etiam in loco interſcapulari, quaſi ab rheumate.

$\frac{24}{2}$ Jan. Omnia eadem; dolor capitis auctus. Nocte hanc diem inſequente parotis utraque, utraque etiam glandula ſubmaxillaris cum dolore dilacerante intumuit; major erat dextræ parotidis, & ſiniſtræ ſubmaxillaris tumor. Loca tumentia contrectari vel leviter citra dolorem non potuerunt.

$\frac{25}{3}$ Hoc die nauſeavit, inter deglutiendum, dolorem & obſtaculum paulo ſupra ſternum ſenſit; difficulter etiam reſpiravit, ob majorem inter inſpirandum dolorem ad caput aſperæ arteriæ, & per decurſum ejusdem arteriæ aſperæ ad ſternum usque,

dum

dum ſpiritum attraheret, exortum, eumque pungentem. Tumor locorum glanduloſorum, dolorque, uti & rheuma inter ſcapulas, & cephalalgia non mutantur. Dolor gutturis attactum difficulter ferebat.

$\frac{25}{4}$ Jan. Omnia augebantur. Sumit hauſtus ſalinos, unde alvum ter torminoſam, & absque levamine poſuit. Nocte hanc diem inſequente, difficillima reſpiratio, & cum metu ſuffocationis ob dolorem ad caput aſperæ arteriæ, & ob impedimentum ibidem hærens.

$\frac{27}{5}$ Jan. Hodie mane ad nos venit, parotide & ſubmaxillari glandula utrobique tumente, ea, qua dixi, ratione, difficulter reſpirans. Glocitabat ad inſtar galli indici irati, & concitati. In faucibus nihil alieni inſpicienti apparuit; cephalalgia, rheuma inter ſcapulas; dolor gutturis inter deglutiendum, inſpirandum, ad attactum, quemadmodum hucusque perſtabant.

Pulſus naturali & celeritate, & mollitie; calor præter naturam vix ullus; dolores lacerantes artuum omnium, brachiorum præcipue, maxime digitorum, quos extendere, ob *crampum*, ut ajebat, non potuit.

potuit. Ab initio morbi hucusque aſſiduum, nullo calore diſtinctum frigus querebatur.

Fit venæ ſectio unciarum X. Sanguis laudabilis. Enemata eccoprotica; cataplasma emolliens ad parotides, & totum collum. Fotus emollientes faucium; decoctum emolliens, tepidum, nitroſum ore hauſtum.

A meridie melius habet; non glocitat; minus inter deglutiendum dolet; facillime reſpirat. Artuum minor dolor, minor etiam locorum glanduloſorum, at major inter ſcapulas. Noctu dormivit; frigus nullum.

26 Jan. Omnia, uti heri a meridie. Decocti altheæ Libræ ij, cum ſalis amari & mannæ āā unc. j. Omni bihorio vaſculum.

27 Jan Dolor quaſi rheumaticus crurum, parotis dextra minor; glandulæ maxillaris ſiniſtræ tumor æque minor. Leve inter deglutiendum paulo ſupra ſternum impedimentum. Apyretos. Mixtura ex aqua ſambuci unc. V. roob ſambuci unc. ij, & antimonii diaphoretici non abluti dr. ij.; decoctum altheæ pro potu communi. Urinæ partim naturales, partim cum ſedimento lateritio.

$\frac{30}{1}$ Jan. Loca tumentia minus tument; melius deglutit; alvus facilis; urinæ, quales heri. Nullus crurum dolor.

$\frac{31}{1}$ Bene. Levis tumor glandulæ ſubmaxillaris ſiniſtræ.

$\frac{1}{2}$ Febr. Tumor glandulæ minor; nullus ullibi dolor, niſi levis ad cardiam. Datum decoctum graminis, taraxaci, cichorei, cum arcano duplicato.

2. 3. Febr. eadem remedia; bene habet.

4. Febr. rheuma lateris dextri faciei. Leve impedimentum iterum in deglutiendo. Veſicans ad nucham. Stibium in mixtura ſambucina.

5. Febr. meliora omnia.

6. Februarii bene habet.

Observatio XVI.

Colica pictonum.

Homo 32 annorum apud deauratorem pulveres cum plumbo mixtos terens, ſenſit ante 14 dies dolorem ventriculi contorquentem; alvus fuit diarrhæica, quam cum emolumento tulit. A die dominica dolo-

res per intervalla graviores, & tam ardentes quam contorquentes adfuere. Conqueritur de ardore in femoribus. Urina eſt ſtrangurioſa; brachia præ gravitate elevare, & firmiter inſiſtere præ dolore & debilitate pedum vix poteſt. Heri, 19 Julii 1776, ſponte bilioſa vomuit; alvus eſt ſtricta; ſapor nullus; lingua alba, modice flava.

20. Emulſum purgans, cum gr. iv camphoræ. Enema cum drachmis ij ſalis gemmæ; pro potu autem communi decoctum emolliens, cum unciis ij roob ribeſiorum. Alvus poſt enema ſemel, & pauca; dolor idem.

20. Mixtura ex aqua florum chamomillæ, menthæ, āā unc. iij. opii puri granis iij, camphoræ gr. iv. ſyrup. menth. unc. 1. Enema idem. Alvus bis poſita. Urina liberior, absque dolore. Dolor ventriculi minor, Cataplasma emolliens.

21. Dolor exiguus. Alvus ſemel ſpontanea.

Rec. Olei amygd. rec. & frigid. expreſſ. unc. j.
Vitelli avorum Nr. 1.
Aq. fl. chamom. unc. IV.

Camph.

Camph. gr. IV.
Opii puri gr. iij.
Syrup. menth. unc. ij.
M.

22. Alvus ſemel facilis; nullus dolor.
23. Caput obtuſum. Ceterum omnia bona. Emulſum purgans.
24. Bene per omnia.

Rec. G. Galban.
Sagapen āā dr. j.
caſtor. dr. ß.
Syrup. menth. q. ſ. ut ſiant pilul. gr. iij.
D
Mane & veſperi pil. IV.

Quæſtio eſt, an colica ſaturnina ſit *ſui-generis*, ſeu ſpecifica, & an ab aliis rebus poſſit eadem ſpecie colica excitari?

Reſpondeo: numeroſas, & maxime differentes colicas dari conſtat; attamen hanc eſſe peculiarem, peculiaribus notis inſignitam, ego quidem arbitror. Conſtitui hiſtorias colicæ ſaturninæ omnes paulo adcuratius deſcriptas colligere, ut ex collec-

tis quam plurimis morbi hujusce hiſtoriis certi quid deduci queat. Cel. *Strack*, egregius ceteroquin obſervator, eandem confudit cum arthritica, in peculiari libello hac ſuper re ſcripto.

Plura occurrunt notanda in colica ſaturnina:

1) Species doloris, qui contorquens eſt, & ſubinde ardens, continuus, ſed per intervalla exacerbari ſolitus.

2) Sedes doloris primo in ventriculo, dein circa umbilicum.

3) Dolor ardens in certo corporis loco, ſæpe non magno, præcipue in femore alterutro, vel utroque.

4) Gravitas artuum ſæpe ſuperiorum & inferiorum.

5) Pulſus durus, plenus, fortis, non febrilis plerumque, ſubinde tamen naturali celerior.

6) Umbilicus retrotractus in plerisque, nulla tamen ab aliis obſervata lignea durities.

7) Alvus tarda, difficilis, fœces non ſemper caprinæ; alvi lubricitatem in uno obſervamus cum levamine morbi.

8) Vomitus æruginoſus, bilioſus, flavus.

9)

9) Mictus ſtrangurioſus, parcus, frequens, teneſmus ad matulam, & urethræ in quibusdam retractio.

10) Dolores omnium artuum per intervalla exacerbari, ſæpe noctu graviores, uti venerei, aſſolent.

11) Signa ea exhibent, quæ apparent in morbis bilioſis, uti ſapor amarus, lingua viridis, flava &c.

12) Subinde ſtupor artuum, qui etiam in paralyſin tranſit.

13) Reptationis ſenſus per œſophagum, ſtrangulatio gutturis, & globus quaſi hyſtericus.

14) Senſus verſus veſperam & noctu caloris in toto corpore, quemadmodum in febre inflammatoria, quin tamen æger ad attactum caleat, aut pulſum febrilem habeat.

15) Conſtrictio ſcroti.

16) Teſticulorum retractio per intervalla.

17) Caput confuſum; in principio ſomni pavores, ſomnus inſomniis turbatus.

18) Convulſiones artuum, & inſultus apoplectici.

19) Delirium furioſum.

20) Tenesmus.

21) Urina aut naturalis, aut mere aquoſa.

22) Flatus ſurſum & deorſum erumpentes, borborygmi.

23) Oppreſſio pectoris ſubito, & per intervalla ingruens.

24) Sub inſultu epileptico linguæ immanis tumor, & extra os protenſio, quam quidam dentibus commordit.

25) Dolor abdominis attactu auctus.

Alvum, ab opio ſtringi ſolitam, in colica pictonum non impediri, quin potius promoveri, in pluribus eſt obſervatum; hinc venenum ſaturninum 1) videtur fibras quasdam reddere ſtupidas, torpidasque; 2) Id venenum perfectiſſime adſtringit, ita, ut olim in gonorrhæis inveteratis, & fluore albo ad omnia rebelli, fuerit tanquam ſummum, & potentiſſimum adſtringens celebratum; quin nuperus ſcriptor gallus *Goulard* denuo auſus eſt, uſum ejus internum ſuadere; 3) quibusdam fibris ſpasmum, ſive ſpaſticam conſtrictionem inducit; hinc oritur indicatio ſequens: ſc. *emollire* oleoſis, *incitare* nervinis, & fibras ſpaſtice contractas *opiatis* ſolvere.

Mag-

Magna neceſſitas eſt, ut hic morbus probe dignoſcatur; frequentiſſime contigit, ut integræ familiæ, integra monaſteria, novo, ut apparebat, morbo laborarint, & plurimi perierint. Solent enim 1) butyro ceruſſam admiſcere, ut pondus augeatur; 2) vina acida litargyrio edulcorare.

Observatio XVII.

Colica ſaturnina.

Vir 26 annorum, quindecim fere annos in conficiendis pigmentis conſumens, ante novem menſes prima vice colica ſaturnina corripitur; at levis admodum erat morbus, cum enim æger a laboribus iſtis deſiſteret, omnia intra biduum ſymptomata ſponte diſparuerunt.

Ante 14 dies eadem ſymptomata, at vehementiora longe recruduerunt; vehementes enim omnium artuum dolores, noctu plurimum exacerbati, artus movendi impotentia; ventriculi conſtrictio; flatuum per œſophagum & aſperam arteriam aſcendentium, & guttur ſtrangulantium ſenſus, Alvus pertinaciter clauſa, fœces

non caprillæ; tenesmus; liberum urinæ profluvium, Lingua impura, modice flaveſcens; oris amaror, vomituritio; umbilici introtractio. Pulſus fortis plenus, ſubdurus, naturali non celerior. Calor naturalis.

Datum 2da Auguſti emulſum purgans; & fomentum emolliens ad abdomen.

Purgabatur cum levamine. Cum altero die mixtura oleoſa cum opio & camphora daretur, alvus ſubſtitit; aderant borborygmi, ventrisque murmura. Pulſus admodum fortis & durus, non celer. Hinc data eſt eodem die tertio mixtura ſalina.

Die quarto facta eſt exigua ſanguinis per venæ ſectionem detractio, ut opium tutius & efficacius dari poſſit. Facta venæ ſectione, data denuo mixtura oleoſa cum opio & camphora. Opium alternis ſolum diebus addebatur, at camphora nunquam omiſſa eſt. Alvus ſub uſu opii ad grana iij vel & iv. intra nychtemeron exhibiti, ſemel, bis, terve ſuapte ſolvebatur. His per paucos dies adhibitis ſubjunximus mixturam noſtram ex tota chamomilla paratam. Demum poſt ſeptem aut octo dies, aut ſani abivere, aut ſi perſuaderi ad perficien-

dam

dam curam confirmatoriam poterant, eidem mixturæ ex chamomilla confectæ, aliquid corticis peruviani, & foliorum aurantiorum addidimus.

Multi ſuadent etiam quadruplicatas purgantium doſes, ſi ordinaria quantitas purgantium non ſufficiat. Verum ubi mitius, & forma liquida, ac per epicraſin datum purgans alvum non reſeraret, ad valentiora pharmaca nunquam confugeram, ſed, præmiſſo ſpasmos ſopiente opio, alvus denuo, dato leniori purgante, facile ſolvebatur.

Observatio XVIII.

Colica pictonum cum febre bilioſâ.

Pictor 29 annorum, ante annum Poſonii graviſſima colica pictonum laboravit; elapſis demum 18 ſeptimanis, poſtquam quaternis vicibus recidivam paſſus eſſet, ex toto convaluit.

Ante tres circiter ſeptimanas cephalalgia, ardoris in thorace ſenſus, dolor in regione epigaſtrica; ſumpto quodam remedio hæc ſymptomata brevi diſparuere.

At 16. Sept. 1776 Eadem ſymptomata longe vehementiora redierunt; acceſſit vomitus æruginoſus, alvus adſtricta. 18. Septemb. Umbilici introtractio.

19. Alvus a quatuor diebus nulla, dolor abdominis ingens, vomitus bilioſus, ejulatus, jactitatio. Data eſt mixtura oleoſa abſque opio, datumque enema primo emolliens, dein acre, nullum levamen; alvus nulla. Repetita & enemata, & mixtura oleoſa cum opio. Dolor ſopitus, alvus nulla. Pauca febris.

Die 23. Veſperi dedi unciam 1 β ſalis amari in unciis VI. aquæ communis, itemque enemata acria. Alvus inde ter mota, Dolor in epigaſtrio per intervalla ardens; flatus, borborygmi. Mixtura oleoſa cum camphoræ & opii granis vj. Dolor vix aliquis. Sed carebaria, pauca febris, os mucoſum hucusque, gravitas circa præcordia, alvus nulla.

Die 25. Sept. Emulſum purgans; ter mota eſt alvus; nullus amplius dolor in abdomine, ſed perſtant borborygmi; nulla cardialgia, nec carebaria. Modice febricitat; os mucoſum hucusque, non tamen amarum. Data eſt mixtura ſolvens cum arcani

ni duplicati drachmis ij, camphoræ granis iv.

Alvus interdiu non movebatur; attamen capitis dolor, qui hucusque fuerat, & calor febrilis evanuit; dolor vero in abdomine recruduit.

Urina hucusque, non niſi diu adhibito niſu mingendi, fluit. Veſperi datum eſt granum opii, & mixtura continuabatur. Inde dolores evanuere. Alvus ſemel poſita.

Die 27. cum leviſſime adhuc febricitaret, data eſt mixtura ſolvens absque ſale, cum camphoræ granis jv. A meridie nullus abdominis dolor, febris nulla.

Die 28. Mixtura ſolvens; camphoræ grana jv. Nullus abdominis dolor, nulla febris, urina facilis.

Die 29. Repetita eadem ſunt, per omnia bene ſe habet.

Per triduum ſtomachicis uſus eſt, & ſanus per omnia diſceſſit.

Nota: 1) Febrim bilioſam, utut leviorem ſimul junctam arbitror.

2) Hoc ſi ſit, aut emetica, aut ſaltem lenia eccoprotica debent adhiberi.

3) Hi opium non ferunt, omnia exaſperantur.

4)

4) Febris hæcললiſa colicæ pictonum juncta curatur, modo ſyſtema nervorum non ſit minus affectum; at ſi tremor artuum, vocis, linguæ &c. adſint, plerumque pereunt, etſi reliqua bona eſſe videantur, & colica multum mitigetur, aut ceſſare videatur.

5) Solventia cum pauca camphora, & alvus aperta ſervari debent.

Observatio XIX.

Paralyſis brachii incipiens.

Lapicida 32 circiter annorum, ſemel tantum per omnem vitam ex morbo acuto decubuit; hucusque ſanus. Ante octo ſeptimanas de inſigni artuum ſuperiorum gravitate, & magna, vel ad leviſſimos motus dedolatione queritur, ut ad labores ſuos ineptus prorſus eſſet. Venam ſecari curavit; modicum inde levamen. Iter tunc faciens vomitu corripitur, ſæpius per diem redeunte; vomuit aſſumpta, neque, inappetentiam ſi excipias, de ullo alio ſymptomate conqueſtus eſt. Variis remediis externe applicatis, poſt octiduum vomitus ſiſtebatur, ſuper-

perſtite tantum per aliquot dies, inani vomendi conatu. Laboribus ſuis iterum fungebatur. At ante 14 dies rediit iterum debilitas, & quaſi incipiens paralyſis artuum ſuperiorum, cum eorundem tremore; perſtat interim tactus.

17. Septembris 1776, cum ad nos venit, præter illam artuum gravitatem, nihil alieni exhibebat. Data eſt mixtura oleoſa, cum granis jv. camphoræ.

22. Sept. Hucusque idem remedium continuatum cum aliquo levamine eſt. Data dein mixtura chamomillæ cum granis xij camphoræ.

Die 26. multo majus brachiorum robur.
1. Octobris ſanus diſceſſit.

Observatio XX.

Mania.

Pictor 52 annorum ſæpius morbis acutis, & in hungaria febre intermittente per decem menſes laborans, a 30mo circiter ætatis anno per duodecim annos ſanus vixit, niſi, quod vix non quotidie mane aquoſa, pituitoſaque vomeret. At dein abs-

que

que ullo prægreſſo colicæ ſaturninæ ſymptomate, taciturnus evadit, hominum conſortia fugit, tandem noctu e lecto exilit, clamat, ejulat, tanquam a latronibus occidendus. Ad noſocomium S. Marci defertur, ubi poſt duos menſes iterum ad ſe rediit, & ſanus e noſocomio diſceſſit. A quatuor annis maniaca affectio non amplius rediit, niſi ſubinde & leviter, atque ita, ut labores ſuos ſemper exerceret.

Per quatuor hasce ultimas ſeptimanas diu noctuque labore pictorio occupabatur; inde vomitus frequentior, atque vix non omni mane rediit; mens ſæpius, magisque per hoc tempus turbata, noctu præprimis.

Die 21. Octobris 1776 veſperi frigore corripitur valido, calore ſubſequente; vomitus frequens; umbilici introtractio, & ſpasmodica œſophagi conſtrictio, quæ ab aliquot ſeptimanis, attamen mitius ægrum vexabant, nunc vehementius afficiunt; dolor rheumaticus artuum ſuperiorum. Os amarum, magna ſitis.

Die 22. Nullum frigus, ſed aſſiduus calor; eadem fere ſymptomata, noctu mite delirium.

Die

Die 23. Venæ ſectio. Minus calet; alvus per tres dies obſtructa.

Die 24. in noſocomium ſuſcipitur. Pulſus celer, fortis, durus; vomituritio aſſidua; os amarum; reſpiratio difficilis, tuſſis frequens, ſputa tenacia. Dolor contorquens in regione epigaſtrica; umbilici introtractio; rheuma artuum ſuperiorum. Alvus hodie ſemel mota. Mixtura ſolvens cum nitro; decoctum hordei cum oxymelle. Sputa prodiere copioſiora, mucoſa, levantia; calor ſitisque diſparuere. Dolor in abdomine nullus, nullus febrilis motus.

Sumpſit poſtmodum ſpecies pectorales, mixturas ſolventes, & ſputis multis mucoſis rejectis, bene per omnia intra paucos dies habuit, ac poſt initium Novembris ſanus diſceſſit.

Nota: 1) Quæritur, unde hæc inſania? an a ſaturno? probabile id quidem maxime eſt, cum vim plumbi nervis inimicam, infatuantem, inſultus epilepticos ac apoplecticos, deliria furioſa inducentem, multis obſervationibus noſcamus.

2) Quare nihilominus non gravius a plumbo multaretur, & abdomen tot annis immune ab doloribus colicis habuerit, etſi

inter

inter continuos labores pictorios verſaretur, inde repetendum exiſtimo, quod delicatior ventriculus quotidiano vix non vomitu, veneni particulas, ſalutari naturæ molimine, rejecerit.

Observatio XXI.

Colica bilioſa.

Vir 38 annorum debilioris compagis, vitæ ſedentariæ deditus, potui indulgens, & crebris manuſtuprationibus vires exhauriens, anno ætatis 14mo febre intermittente per 18 fere menſes laborabat. Perfecte tandem ſanatus.

16mo ætatis anno, tempore autumnali, cum largiter cibaſſet, aëri frigidiori humidoque ſe exponens, diriſſimo dolore colico totum abdomen occupante corripitur, poſt quatuor horas ſponte evanido. Sexennio elapſo iterum in colicam incidit, mitiorem tamen, & aliquot dies durantem. Abhinc aſſiduo, vel leviſſima data occaſione, colicæ obnoxius. Ab ultimo decennio ita frequens hoc malum redit, ut æger tandem omni fere ſeptimana vehementi coli-

licæ

licæ paroxyſmo corripiatur. A lacticiniis, & dulcibus omnibus malum exacerbatur.

Per tres ſeptimanas omni die, etiam omni alterno die rediit dolor colicus. Octo diebus liber fuit. Nunc denuo per quatuordecim dies dolores colici, vagi per abdomen, incerto tempore remittentes, intermittentes. Oris halitus acer, naresque feriens.

Sumſerat ſub ultima anni elapſi tempora pilulas ex ſapone veneto, & gummi ferulaceis; at inde amaror, & oris halitus intendi, uti & dolor cœpit. Tandem 4. Januarii 1779 emeticum; vomuit multa, amara, æruginoſa, cum aliquo levamine. At 5to Januarii dolor immanis, aſſiduus, contorquens in hypochondrio dextro, attactus omnis impatiens. Tinctura rhei aquoſa cum terra foliata tartari. Alvus non mota.

7. Jan. ad nos venit. Venæ ſectio unc. v. Sanguis cruſtam phlogiſticam, flaveſcentem exhibuit. Cataplasma emolliens abdomini adplicatum. Potus emolliens.

8. Dolor multum mitigatus. Alvus nulla. Enema emolliens.

9. Alvus ab enemate; bis mota; dolor rudiorem etiam attactum fert; decubitus in latus dextrum fere impoſſibilis. Eadem remedia.

10. Jan. commode habet, appetit, attactum fert. Alvus enemate mota.

11. Eadem remedia. Urinæ heri & hodie quoddam lateritium habent ſedimentum. Noctu colicæ paroxysmus gravis, per totum abdomen vago dolore. Sopitur opio, Mane aliquoties pituitam vomit; levatur.

Rec. Gummi ammon.
— — — Galb.
aſæ fœtid. āā dr. iij.
Caſtor.
M. P. Ruffi āā dr. ß.
Camph. ſcrup. j.
Eſſent ſucc. q. s.
M D.

13. Bene habet. Surgit e lecto. Urinæ profundi coloris, & brunei, uti in ictericis.

14. Urinæ denuo profundi coloris, & brunei. Circa meridiem paroxysmus colicæ per duas horas.

15.

15. Hodie per duas horas circa meridiem paroxyſmus colicæ. Urinæ naturaliores.

16 — Bene. 18. bene, ſed meridie levior paroxyſmus per duas horas. Urinæ paulo magis flavæ; fœces gryſeæ.

19. Jan. bene. Urina ſaturate & profunde flava. Appetit.

20. Bene. 21. Hora tertia pommeridiana dirus colicæ paroxyſmus. Cataplasma; enemata. Tandem opium. Vomitus inanes, Os ſemper hucusque leviſſime amareſcens. Urinæ plerumque copioſiſſimæ, ita, ut mirati ſimus aliquoties earum copiam. Noctu, cum dolores non ſilerent, balneum. Poſtquam per horam inſedit, dolores ceſſarunt, dormivit. Ad auroram denuo redierunt, verum leviter, & brevi ceſſabant.

22. Jan. Calculorum biliariorum ſuſpicio maxima eſt, etſi nullos adhuc in fœcibus viderimus. Conſtitui ſero lactis, taraxaco, gramine, terra foliata tartari uti, & demum aquis medicatis. Urinæ ſaturatius, & icterice flavæ, fœces gryſeæ poſt paroxysmum nuperum. Ante meridiem hujus diei denuo balneo per horam inſedit. Optime habet. Alvum hodie non po-

ſuit; urinæ croceæ, multæque. Emollientia mera.

23. Urinæ multæ; profunde flavæ, icterodes. Icterus flavo-vireſcens a meridie. Macies in dies. Alvum argillaceam ſponte bis poſuit. Tormina nulla; attamen ſenſus quidam ingratus in abdomine; flatus.

24. Icterus ſaturatior; ſaturatiores urinæ. Cetera ut heri. Urina cum ſedimento cinnaberino.

25. Urinæ jumentoſæ, item cum ſedimento lateritio, & quædam fere naturales. Vix ullus icterus.

26. & 27. pleræque urinæ naturales, quædam cum hypoſtaſi lateritia.

28. Omnia bona.

29. Urinæ bonæ. Alvus continuit quaſi ſebum ſemiliquatum, pituitam vitream. Urinarum veſperi bonarum ingens copia; rara ſputa.

$\frac{30}{1}$. Jan. Ad auroram frigus, dein tota die calor febrilis, intenſus, cum tuſſi & ſputis glutinoſis. Borborygmi. Dolor obtuſus ad regionem veſiculæ felleæ. Sitis. Emollientia.

$\frac{31}{2}$ Nocte præterita dolor contorquens lateris, tuſſi, reſpiratione auctus. Pulſus ce-

celer, mollis, plenior tamen in carpo lateris affecti. Urinæ fulvæ, copioſæ. Alvus pituitam vitream dedit. Emollientia, tepida ore, ano, ad latus dolens. Sano lateri difficulter incumbit, tunc enim magis tuſſitat.

$\frac{1}{3}$ Febr. Pulſus mollis; mitior febris; urinæ eædem. Dolor ſolum inter tuſſiendum. Sputa mucoſa. Reliqua ut heri, repetita priora.

$\frac{2}{4}$ Febr. Eadem ut heri. Venæ ſectio unciarum v. Levamen aliquod; cruſta craſſa, non contracta. Veſperi venæ ſectio repetita unciarum x. Urinæ parciores, ſed igneo-fulvæ. Remedia emollientia, nitroſa.

$\frac{3}{5}$ Febr. Veſperi venæ ſectio unciarum x. Cruſta pleuritica, flaveſcens; ſerum ex flavo viride.

$\frac{4}{6}$ Febr. Urinæ multæ, vix paulo magis flavæ naturalibus, ſine hypoſtaſi; dolor nullus, niſi in profunda inſpiratione. Febris non magna. Alvus enemate mota. Decubitus in utrumque latus. Sputa mucoſa, rara tuſſis.

$\frac{5}{7}$ Febr. Urinæ multæ, ferme naturali colore; nulla hypoſtaſis; febris vix ulla. Sputa & tuſſis ut heri.

$\frac{6}{8}$ Febr. Nulla febris. Urinæ cum ſedimento lateritio. Sputa & tuſſis rara, uti heri.

$\frac{7}{9}$ Febr. Omnia ut heri.

$\frac{8}{10}$ Febr. Sputa multa, dolor lateris obtuſus. Nulla febris. Tuſſis moleſta. Alvus ſponte ſemel. Decoctum altheæ cum ſyrupo altheæ, & oxymelle ſquillitico.

$\frac{9}{11}$ Febr. Tuſſis; multa ſputa. Dolor obtuſus inter tuſſiendum. Idem.

$\frac{10}{12}$ Febr. Nulla tuſſis. Bene.

Nota: 1) Vita ſedentaria, recurſus frequentes, dolores vagi, oris mucoſus aut bilioſus ſtatus, irritabilitas nervorum, nocentia, lac, pinguia &c. Ex his concludo *colicam* eſſe bilioſam, vel ex calculis bilioſis, vel ex vetuſta, acri bile. Jungitur equidem etiam colica ſpasmodica, hypochondriaca.

2) Pleuroperipneumonia ſymptomatica in ſubjecto alieno, debili homine & viribus attritis, a cauſa valde mala, acri videlicet bilioſo.

Ob-

Observatio XXII.

Hydrops.

Piſtor 32 annorum 31. Auguſti 1778. febre billioſo-putrida laborans in noſocomium ſuſceptus eſt. 22. Sept. ſucceſſit hydrops anaſarca. Mixtura diuretica ex ſquilla, cortice peruviano, & vino auſtriaco, & infuſo baccarum juniperi, ſcarificato etiam ſcroto, ſanatio morbi ad finem jam fere perducta fuit. At 3tia Octobris veſperi æger validiſſimo trium horarum horrore correptus eſt, dein a *αφρωνος*, & comatoſus jacuit, eaque nocte, ac die ſequenti quinquies convellebatur. Opiſthothonus, tetanus maxillæ, impoſſibilitas ingerendi medicamenta erat per duas noctes, diesque totidem.

At vero die 4ta Oct. circa meridiem duo veſicantia ad ſuras, femora, nucham, totumque caput raſum. Die 5ta Octobris, cum inſultus epileptici, & tetanoidea affectio ceſſarent, attamen adhuc comatoſus eſſet, duo adhuc alia veſicantia ad brachia applicabantur.

Sexta Octobris ad ſe rediit. Interea clyſmatibus tam medicatis, quam nutrientibus uſi ſumus. Sub uſu corticis peruviani & polygalæ cum oxymelle ſquillitico, redierunt ſenſim vires; & æger 21. Octobris prima vice ſurgit ex lecto.

Die 24. Octobris. Data eſt mixtura diuretica, ob novum incrementum anaſarcæ. Die 25. duo veſicantia ad brachia.

Die 27. Octobris tremore valido aliquoties concutitur, comatoſus eſt, mente per intervalla conſtat. Mitificatum veſicans ad totum caput. Noctu & die ſequenti aliquoties denuo concutitur validiſſimo totius corporis horrore. Hodie, 28. Octobris, denuo duo lata veſicantia applicata ad ſuras. Emulſum cum drachma ; camphoræ.

Die 29. Octob. cum interdiu comatoſus jaceret, nulla ratione excitandus, cum reſpiratio eſſet ita prava, ut bis ſucceſſive bene & naturaliter reſpiraret, & dein non niſi poſt longiſſimum intervallum, donec iterum bis naturaliter reſpiraret, cumque noctu veſicans non niſi leviter hinc inde epidermidem elevaſſet, ea ablata, denuo novum ſemiveſicans adplicavi.

Ma-

Mane, 30. Octobris, mentis compos, ſine comate fuit.

Poſt initium Novembris duo fonticuli in brachio excitati & ſetaceum. Sumit decoctum quaſſiæ, cui baccæ juniperi infunduntur, additurque ſquilla. Dein addidi oxymel ſquilliticum, cum terra foliata tartari.

Circa 18 Nov. ſolus poterat prima vice per cubiculum ambulare. Nullus ullibi tumor oedematoſus; vegetus appetitus. Menſe Decembri ſanus diſceſſit.

Nota: 1) Difficultatem ſanandi hydropem in viris.

2) Datur Hydrops, quem & hic & alibi vidi, pulſu forti, pleno, vegetoque, ubi evacuantia per alvum, urinam, & ſudorem, ne hilum proficiunt, ſed vires dejiciunt, ac ſi ſolum vitium eſſet primo in ultimis vaſculis per totam celluloſam diſperſis, iisque nimium dilatatis, & ſerum plorantibus; item in ultimis vaſculis cutaneis nimium conſtrictis, & cute imperſpirabili. Fruſtra intra leges circulantium humorum materies hæc revocatur. Topica e. g. fonticuli, ſetaceum, & imprimis veſicantia, ſola fere ſunt, quæ juvant.

Fiunt ſubitaneæ collectiones ſeroſæ in hoc hydrope ad caput, uti in hoc caſu, ad pulmones in alio vidi.

OBSERVATIO XXII.

Colica pictonum.

Figulus 28 annorum ſæpius jam colica ſaturnina affligebatur. Ultima vice 22 Januarii 1777 in noſocomio noſtro ex eodem morbo decubuit, & me ægrotante ab Aſſiſtente meo ſanatus, 1ma Februarii e noſocomio diſceſſit.

Idem figulus die 23 Martii ad nos venit, ſequentia queſtus:

A tribus ſeptimanis ingeſta vomit; dolor *premens* ventriculi, & ſubinde alvus diarrhæica, paucæ fœces, plerumque tamen tarda, immorigera, cum fæcibus caprillis. Lotii libertas; appetitus minor, oris amaror.

Poſt 14 dies dolor profundius deſcendit, contorquens, ſcindens per intervalla, noctu præprimis gravior. Vomituritio & ingeſtorum vomitus, orisque bilioſus ſapor continuat. Noctes ferme inſomnes.

Quo

Quo die ad noſocomium venit, emulſum purgans ex ſale amaro, & manna dedimus, cum enemate. Alvus ſemel; doloris in abdomine levamen. At dolor, quaſi in iſchiade, ab acetabulo utroque ad caput fibulæ protenſus accedit, noctu moleſtior. Artuum gravitas. Pulſus fortis, plenus, durus. Urinæ multum bilioſæ, cum eneoremate ſubinde lateritio. Calor naturali major; ſingultus frequens. Die 24. data mixtura oleoſa, cum ſeptem granis opii puri, totidemque camphoræ. Alvus ſponte mota eſt ea die, dolor in abdomine nullus. Somni tamen exigui, ſubita cum tremore evigilatio, terrores. Mitior iſchias, & verſus auroram diei proximæ nulla.

Die 25 Martii dedolatio artuum ingens; ſubinde ſingultus, vomitus aſſumptorum. Caput confuſum, calores, pulſus citatior; urinæ valde bilioſæ, os amarum; dolores nulli.

Die 26. Abdomen nocte præterita non doluit; attamen doluerunt artus. Lotium bilioſum, febris ut heri. Emulſum purgans ex ſale amaro & mannæ āā unc. 1ß. Itemclysma.

Die

Die 27 Urina modice tantum bilioſa. Febris nulla; nulli dolores; non vomit, non ſingultit.

Die 28 dolores femorum aliqui interdiu. Veſperi preſſio circa præcordia. Febris nulla; urinæ bonæ. Mixtura chamomillæ, cum opio & camphora. Mota enemate alvo, & flatibus miſſis, omnis præcordiorum preſſio ſubito ceſſavit.

Die 29. Nox præterita bona. Alvus enemate mota.

Die 30. Nox bona. Bona omnia. Exiguus preſſionis circa cardiam ſenſus, alvo enemate mota, iterum evanidus. Reconvaluit roborantibus uſus.

Observatio XXIII.

Colica pictonum.

Figulus 27 annorum ſæpius jam colica pictonum vexatus in noſocomio noſtro adſuit, & gravius ſemper affligitur.

Die 10ma Junii magna artuum ſuperiorum dedolatio; acceſſit dolor ſcindens ventriculi, umbilici introtractio; dolores artuum, alvus obſtructa.

15.

15. Ad nos venit. Abdomen magis dolet, umbilicus introtrahitur; ſexies vomuit, alvus nulla. Clysma emolliens cum ſalis amari drachmis ij. Ab enemate fœces caprillæ, cum levamine omnium ſymptomatum. Mixtura ex aqua chamomillæ, opii & camphoræ āā granis iij.

16. Dolor abdominis minor; vomuit 10es. Alvus nulla; nox inſomnis.

17. Cephalalgia, ſapor oris amarus; major artuum dolor; abdomen minus dolet. Data mixtura eadem cum opii & camphoræ granis X. Enema ex hieræ picræ unc. β. dejecit denuo fœces caprillas. Noctu dormit.

18. Abdomen vix dolet. Capitis, ſtupor, & maior artuum dedolatio. Alvus ſemel aquoſa. Purgans ex ſalis amari unc. 1 β. opii gr. ij. Inde bis dejecit, ſemel vomuit; accedit pectoris oppreſſio. Mixtura ex chamomilla cum opii & camphoræ granis X.

19. Alvus quinqiues mota; pectoris oppreſſio; dedolatio. Mixtura eadem.

20. Abdomen dolet, artuum dedolatio; pectus oppreſſum. Eadem mixtura.

21. A multis jam annis puriformia ſputat, copioſaque; ſanus ceterum. Cum expectoratio hæc ſubſiſteret, augereturque oppreſſio pectoris, omiſſis opiatis ad expectorantia confugimus. Data mixtura ex aqua ſambuci, oxymelle ſquillitico, & antimonio diaphoretico non abluto. Opium ergo ſputa ſuppreſſit probabilius.

22. Omnia bona. Minor pectoris oppreſſio. Alvus ſemel mota; ſputa copioſa, puriformia. 24. Sanus diſceſſit.

Nota: 1) Alvus movebatur, etſi opium aſſumeret.

2) Caput temulentum, vertiginoſum, inſultus epileptici, mania in colica pictonum adeo non contraindicant opium, ut illud potius indicent.

Observatio XXIV.

Colica bilioſa ſaturninam mentita.

Figulus 28 annorum ante ſex ſeptimanas fèbre bilioſa decubuit; intra tres ſeptimanas ſanatus. Ab eo tempore languor aſſiduus, inappetentia; 26. Sept. 1776 horripilatio, calore ſubſequo; dedolatio; ſequen-

quentibus diebus dolor capitis, cardialgia. 30. Sept. vomuit ſponte, multa amara; tormina; rotatio & retractio teſticulorum, & expanſio conſtrictioque dolorifica per vices ſcroti.

3to Octobris ad nos venit. Cephalalgia, oppreſſio pectoris per vices, ructus flatulenti, dolor abdominis attactu auctus. Ardor urinæ, teſticulorum rotatio; dolores artuum. Pulſus & calor fere naturalis. Decoctum eccoproticum.

Curatus eſt purgantibus ex ſale amaro cum oleo amygdalarum, datis item acrioribus enematibus. Demum data ſunt rhabarbarina; lenia tonica.

Cum primo ſuſpicio eſſet *colicæ ſaturninæ*, ob ſymptomata quædam communia cum illa, ſcilicet, ob oppreſſionem pectoris abeuntem & redeuntem, ſpaſticasque affectiones varias, item ob ipſum, quod olim tractabat, opificium figuli, data eſt mixtura cum opio & camphora. Verum ſymptomata ſpaſtica adeo non ſublata, ut etiam augerentur. Ut a *poſteriori* pateat, toto cœlo diverſam eſſe hanc colicam, mere videlicet *bilioſam* a ſaturnina.

Ob-

Observatio XXV.

Febris maligna

Puella 25 annorum anno ætatis decimo ſeptimo febre acuta laborabat; ſanata, ob diætæ errorem, gravem recidivam paſſa eſt, ut difficulter ex illo altero morbo ſanaretur. Ab eo tempore valetudinaria; frigus enim per vices, appetitus proſtratus, menſtrua ceſſarunt. Æſtate hoc modo tranſacta, purgans remedium ſumpſit; inde melius ſe habuit, & catamenia redierunt.

Sana hucusque, niſi quod omni vere intermittente febre laboraret, absque ullis remediis iterum ceſſante.

19. Octob. 1776 frigore corripitur caloribus interpolato; 21. Oct. purgans ſumit; quinquies dejecit.

23. Oct. in noſocomium venit. Nauſea, ſapor amarus, lingua ſordida; cephalalgia. Miliaria alba & rubra. Pulſus celer, fortis.

Alvus usque ad meridiem diei 27 diarrhæica. Proſtant exanthemata; quædam exſiccantur. Caput nocte valde confuſum.

31.

31. Oct. Alvus ſexies, pauca. Pulſus & urina ferme ſanorum; lingua denuo humida. Repetitur infuſum ſerpentariæ; contrayervæ cum camphora.

4. Nov. Per aliquot dies frequenter pituitoſa vomuit, cum multo levamine. Si enim diutius non vomat, angetur, præcordia dolent, pulſus celerior, calor major redditur; adeo omnis anxietas ſtatim abit, ut vomitum exoptet.

Quamdiu vomit, hucusque illa tuſſis malignarum nondum venit. Vomitum ejusmodi *ſalutarem*, continuum, id eſt, per totum morbi decurſum, vidi aliquoties; & neque tunc afficiebatur pectus.

8. Nov. Pectus liberum, pulſus bonus: Subinde vomuit pituitoſa.

Rec. camphor. gr. vj.
Kermet. gr. iv.
Opii puri gr. iij.
Sacch. dr. j.
M.

Divid. in Doſes No. vj. Omni bihorio unam.

9. Nov. Bene habet per omnia; ſumit heſternos pulveres, ſed absque opio; nec vomuit inde, nec dejecit.

10. Repetita eadem, bene per omnia; inde convaluit.

Observatio XXVII.

Colica pictonum.

Deaurator 29 annorum ante tres ſeptimanas ex colica ſaturnina in noſocomio noſtro decubuit; ſanatus ad priſtinos labores rediit.

21. Octobr. de cardialgia, ardoris ſenſu in ventriculo, per vices redeunte, & inappetentia conqueritur. Senſim augetur dolor abdominis; 24 accedit dolor vagus lumborum; difficultas & ardor urinæ, noctu præcipue. Die 26 retrotractio urethræ, retrotractio teſticulorum, vomituritio; ſemel vomuit æruginoſa.

27. Vomitus bilioſus, cardialgia, levior umbilici introtractio; dolor rheumaticus artuum & lumborum præcipue, ad genua usque excurrens. Pulſus & calor natura-

turalis. Data Mixt. chamom. *cum opii gr. V.*; enema. Fœces caprillæ.

28. Abdomen minus dolet; major artuum dolor. Alvus enemate ſollicitata.

29. Modice dolet abdomen, vomituritio; ſemel vomuitননbilioſa. Dolores vagi artuum. Mixtura oleoſa cum camphoræ & opii aa granis vii.

30. Oct. Dolores mitiores. Sal amarum cum oleo amygdalarum dulcium. Vomuit inde, & bis dejecit aquoſa. At vero dolores aliquantum majores. Eadem mixtura.

Dedi poſtmodum mixturam oleoſam cum granis vij. opii puri & totidem camphoræ, cum decocto hordei, oleo amygdalarum, & mucilagine. Item omni die enema. Tandem dedi ſalis amari unc. 1 β. pro doſi; vomuit ſemel bilioſa, aliquoties dejecit cum levamine. Denuo opiata cum oleoſis.

4. Nov. Bene habet, niſi quod hucusque urina non fluat, niſi adhibito antea majori niſu; dumque incipit fluere, ſtatim iterum ceſſat, ac ſi conſtringeretur, & retraheretur urethra; tandem inimpedite fluit,

& largiter, ubi antea difficilius, dolorifice, & parce fluxit circa morbi initium.

8. Nov. Sumit a 3 diebus mixturam chamomillæ absque opio aut camphora. Bene habet; niſi quod caput leviter doleat, & flatibus ac barborygmis vexetur. Alvus libera. Fors, cum prope fornacem decubuiſſet, inde caput doluit. Urina facilis, naturalis. Hodie denuo mixtura chamomillæ cum camphoræ granis X.

9. Nov. Nullum prorſus in corpore incommodum ſentit.

10. Nov. Per omnia ſanus diſceſſit.

Nota: Purgantia ſemper dolores aut revocant, aut exaſperant, ſuntque ſolum neceſſaria, ſi alvus diu fuerit clauſa, & fæces diu collectæ, ubi, ne ipſa colluvies noceat, aut reliquiæ maneant, leniter purgans ſalinum proderit, ſi modo tam *ante*, quam poſt *purgans* opium detur.

Observatio XXVIII.

Aſcites.

Acicularius 19 annorum paſſus eſt poſt paſcha tres paroxysmos tertianæ; ſponte ceſ-

ceſſavit febris, & bene valuit. Octo dies ante pentecoſten concertatio, ira, potatio, metus & terror. Per quatuor dies nihil in ſanitate mutabatur. Denuo concertatio, ira, compotatio. A pentecoſte intumeſcentia abdominis, quæ quotidie augebatur. Per plures tamen dies laboribus ſuis fungebatur, per aliquot vero decubuit. Reſpiratio difficilis, tenſio abdominis, dolores & ardores in hypogaſtrio, & regione umbilicali. Noctes inquietæ. Alvus ab heſterno die (12. Julii 1776) laxa, antea conſtricta. Urina pauca, citrini doloris. Fluctuatio in abdomine, rubor genarum. Alvus cum levamine ipſi ſolvitur. Datum decoctum emolliens cum cremoris tartari & mellis āā unc. j.

Sumſit ſubinde radicem jalappæ. Item infuſo-decoctum cum oxymelle colchico.

Nota: 1) Quæritur, quæ morbi origo, an a febri prægreſſa, & obſtructionibus? an ira, compotatio, concertatio hanc infirmitatem poterant producere? quomodo?

2) Quæ indicatio? aquas educere: an alvo? urina? vomitu? ſudore? paracenteſi? inunctione?

3) Diuretica fortiora non conveniunt, ob diſpoſitionem ſat vegetam corporis; ac-

cedit enim febris, ſitis, fibrarum major ſtrictura, oriturque morbus fere *compoſitus* ex *hydrope* & *febre inflammatoria.*

4) Hanc combinationem mirari quis poſſet, cum in hydrope ſit humorum bonorum paucitas, & aquoſa diſpóſitio; contrarium vero in febre inflammatoria. Verum hydrops ex hac cauſa ortus, & quaſi repente productus, in *tali corpore*, taliter prædiſpoſito, facile concipi poteſt.

5) Præſtans Manhemii medicus, *Caſimir*, gentilitio nomine, *Medicus* appellatus, obſervationes habet hydropis venæ ſectionibus curati. Ex hoc noſtro caſu hujus methodi ratio facile explicatur. Si enim ob impeditum humorum motum, vaſaque compreſſa, ob fortiora purgantia, diuretica, febris inflammatoria accederet, etiam nos venam ſecaremus. Factis his evacuationibus ſanguinis, leniſſimis adhibitis ſolventibus, excretiones omnes & ſecretiones commoverentur, aquæ in abdomine contentæ reſorberentur.

OBSER-

Observatio XXVIIII.

Febris glioſo-putrida.

Ancilla 24 annorum, catamenia a multis annis inordinata habens, 24. Septembris 1776 friget, caletque per vices; ſequenti die calor aſſiduus, cephalalgia, os amarum, oppreſſio ad ſcrobiculum cordis, dolor artuum & lumborum. 28. Vena ſecatur; absque levamine.

29. ad nos delata. Cephalalgia, faciei rubor; lingua ſordida, flaveſcens. Dolor hypochondrii ſiniſtri & lumborum per intervalla redeuns. Pulſus fortis, plenus; calor naturalis. Decoctum eccoproticum cum ſale medio.

40. Sept. Vomuit multa vitellina cum levamine.

1 & 2 Oct. Mixtura ſolvens cum ſale ammoniaco. Debilitas magna, omnia ſymptomata leviora, febris pauca; ſed magna ſomnolentia. Hinc veſperi mixtura cum cortice & ſale ammoniaco āā dr. ij.

3. Octob. Mixtura corticis. Omnia leviora; ſed laſſitudo ingens, quaſi fuſtibus cæſa. Alvus aliquoties mota a cortice.

4. Oct. Lingua impura, ex albo flava, glutinoſa, cardialgia ad attactum. Catarrhus incipit. Emeticum; vomuit pauca, bilioſa; dejecit meracam & multam bilem. A vomitu dedi, ob debilitatem, pulverem radicis arnicæ drachmam β, camphoræ gr. jv. M. omni bihorio pulverem. Pulſus ſurgit, & propemodum naturalis fit. Reſpiratio melior a vomitu, ſomnus, & minor laſſitudo, tam a vomitu, quam a pulvere.

5. Oct. Repetita eadem ſunt. Veſperi minor laſſitudo. Caput bonum, tuſſis & reſpiratio emendata ſunt. Calor febrilis vix ullus. Lingua flava, cum apice prærubro.

8. Oct. Per duos dies mixturam arnicæ ſumit cum camphora, & heri ſumpſit decoctum lichenis ác polygalæ. At alvus mota nimium eſt, & aquoſa. Pulſus debilior; non multum celer. Hinc hodie quatuor veſicantia. Item infuſum ſerpentariæ & contrayervæ, cum ſcrupulo 1 camphoræ.

10. Oct. Tuſſis multa catarrhalis, ſputa quædam cocta. Pulſus non fortis, vix naturali celerior. Repetitur infuſum cum camphoræ drachma β.

Veſ-

Veſperi pulſus mollis, debilis, naturali celeritate; nullus febrilis calor, ſed ingens debilitas, dedolatio & virium proſtratio, de qua inſigniter per totum morbum querebatur; manuum frigus, calor tamen naturalis pedum. Lingua humida, animi præſentia. Alvus in lectum miſſa, ob ſurgendi impotentiam, urina inter tuſſiendum in lectum excuſſa. Quatuor veſicantia de novo adplicata ſunt. Dedi etiam unciam unam ſpiritus vitrioli in menſura una aquæ.

11. Oct. Vires meliores. Pectus emendatum magis; tuſſis rarior; ſemel inter tuſſiendum pauca mucoſa vomuit. Dedi unciam unam ſpiritus vitrioli ex menſura una aquæ, cum ſcrupulis duobus camphoræ in infuſo ſerpentariæ & contrayervæ.

13. Oct. Alvus hucusque aquoſa, in lectum miſſa, tuſſis multa, ſputa pauca, puriformia, multa glutinoſa valde & tenacia. Pulſus non celer, ſed naturalis, attamen debilis. Nullus calor præternaturalis. Lingua ſubinde ſicca.

14. Pulſus fortior, tuſſis rara, ſputa pauca.

17. Oct. Sumit drachmam; camphoræ intra 24 horas. Calor naturalis, ſed mag-

na debilitas. Pulſus naturali celeritate, ſed debilis valde, minus tamen, quam prioribus diebus.

18. Oct. Vires majores; pulſus adhuc melior. Subinde ſola ſurgit, prima vice ad alvum deponendam. Lingua mucoſa hucusque, & glutine tenaciſſimo obducta. Tuſſis tamen rarior.

Sumit decoctum polygalæ, & bene habet 26. Octobris.

OBSERVATIO XXX.

Peripneumonia bilioſa.

Sutor 31 annorum 2. Julii 1778. de inappetentia, & fœtore oris conqueritur; altera die horrores vagi, ſapor oris depravatus, reſpiratio difficilis, cum dolore ad ſcrobiculum; dedolatio. Vena ſecatur; inde oppreſſio ceſſat, & levari ſibi videtur æger. 4. Julii eadem reſpirandi difficultas rediit, cum preſſionis ſenſu a ſcrobiculo ad hypochondrium ſiniſtrum protenſo. Os magis amarum, cephalalgia valida. Iterum vena ſecatur, absque ullo levamine. 6. Julii purgans ſumit, unde ſepties dejecit, cum aliquo

quo levamine. 7. Julii ingens pectoris oppreſſio, jactitatio. 8. Julii veſperi validiſſima morbi exacerbatio.

9. Julii in noſocomium ſuſcipitur. Cephalalgia, os amarum; linguæ artuumque tremor, & confuſio ſenſuum, ut difficulter & tarde ad interrogata reſponderet. Oppreſſio pectoris aſſidua, & dolor lateris ſiniſtri punctorius. Dolor ad ſcrobiculum, attactu auctus; abdomen inflatum; alvus diarrhœica; pulſus celer, plenus. Mixtura ſalina, & decoctum hordei cum oxymelle.

10. Jul. Dolor vix ullus, at magna pectoris oppreſſio; cardialgia, meteorismus. Emeticum. Vomuit multa æruginoſa, & reſpirationis inde emendatio, febris mitior, noctu ſomnus.

11. Lingua purior, opreſſio minor; promptius ad interrogata reſpondet. Mixtura ſolvens, cum ſalis ammoniaci drachmis ij.

A meridie ſumma iterum reſpirationis difficultas, meteorismus abdominis; calor magnus; pulſus celer, plenus, fortis. Sepoſita mixtura, datur denuo ipecacuanha cum grano j tartari emetici. Vomuit pituitoſo-bilioſa, & pluries dejecit. Reſpira-

tio

tio veſperi facilior, abdomen liberum; calor minor; dormit per vices.

12. Julii. Pectus bonum, abdomen minus tumet; lingua villoſa, flava; ſapor amarus. Pulſus naturali celerior, plenus, fortis; tremor artuum, & præcipue linguæ. Veſperi denuo abdomen tumuit. Sumit mixturam cum ſale ammoniaco, & hordei decocto cum oxymelle, dormivit.

13. Jul. Febris mitior. Repetita eadem. Os non amarum; abdomen detumuit. Hypochondria bona. Alvus aliquoties cum levamine multo ſponte mota eſt.

14. Jul. Lingua mucoſa, tremula, leviter flaveſcens. Pauca febris. Pectus bonum. Os valde mucoſum. Ipecacuanhæ drachma 1. Vomuit pituitoſo-bilioſa. Decoctum arnicæ.

15. Jul. Pauca febris; decoctum arnicæ.

16. Jul. Ob pulſum hodie paulo debiliorem datum corticis decoctum eſt. Lingua mucoſa; tuſſis hucusque aliqua, cum ſputis glutinoſis; pauca febris.

17. Eadem ſymptomata, idem decoctum.

18 & 19. Jul. Pulſus fere naturalis; artuum tremor, & lingua, uti hucusque fuit, humida. Decoctum corticis, alvus ordinata.

20. Jul. Eadem ſymptomata. Decocti corticis Lb. 1 β, vini budenſis Lb. β. M.

21 & 22. Jul. Solam debilitatem queritur. Vini Budenſis Lb. β. Cortic. peruv. dr. vi. ſyrup. menth. unc. 1. M.

23. Repetita eadem. Febris nulla.

24. Noctu tuſſis multa; ſputa mucoſa. Eadem repetita.

25. Sumit arnicam omni bihorio in ſubſtantia.

26. Queritur oppreſſionem præcordiorum. Alvus mota, bene habuit. Omni quadrihorio arnica. Extra lectum frequenter eſt.

27. Bene. Continuatur.

28. Julii mixtura ſtomachica. Noctu adhuc tuſſitat, ſputatque pituitoſe.

29. & 30. Julli. Bene habet, parum tuſſit; noctes tranquillæ. Reconvaleſcit ſub uſu ſtomachicorum. Attamen ob tuſſim noctu redeuntem datum infuſum arnicæ cum oxymelle ſquillitico.

7. Auguſti. Os amarum; ſemel amara vomuit.

8. Dato emetico, pituitoſo - bilioſa cum levamine vomuit.

9. Nondum appetit. Os amarum. Infuſo - decoctum arnicæ.

10. Adhuc ſemel vomuit amurcoſa dato emetico. Inde emaciebatur magis; pulſus ſemper vegetus, naturalis; ſubinde ſubdelirabat, & die 18. Aug. mortuus eſt.

Cum æſtivus calor eo die immoderatior eſſet, a cadaveris ſectione abſtinui.

Nota: 1) Sutores tot, quot novi, cum virore pallent. Infimam ſterni partem multum intropreſſam habent; tarde & dura dejiciunt, & morbis bilioſis, pituitoſis, mixtis, curatu difficilioribus, ac ſæpe malignis, frequenter, ac præ aliis corripi ſolent.

2) Purgans, vix levamen attulit; luculentius conſtantiusque emeſis arte concitata juvit; aut potius emeto - catharſis. Solæ vomitiones absque dejectionibus, teſte multa obſervatione, ægrum pro votis haud ſolantur; pharmaca vero alvum atque vomitum ſimul moventia, inſigniter proſunt.

3) Venæ ſectio, male etiam inſtituta, juvare ſæpius videtur; at infidum ab illa leva-

levamen eſt, malo paulo poſt acerbius inſurgente. Induciæ hæ, & gravioris cujusdam ſymptomatis momentanea cicuratio, ab initio ſubinde ad iterandas ſanguinis miſſiones me ſubduxit. Sed didici jam doloſo levamini haud fidere.

4) Vidi innumeris vicibus abdomen turgidum, tumentiaque præcordia emetocatharſi ad mediocritatem deduci; ſed proximæ diei exacerbatione finita elevari denuo, denuo pharmaco vacuari, idque vicibus repetitis; donec nihil amplius alieni ad inteſtina & ventriculum confluat, ore & alvo tanquam via regia evehendum.

Observatio XXXI.

Tetanus.

Die 27. Junii venit ruſticus 50 annorum. Una nocte tetano maxillæ correptus eſt die 18 Junii. Acceſſit abdominis durities lignea, ejusque introtractio, dum ſe moveret, aut loqui tentaret, aut ipſum quis alloquebatur. Poſt paucos dies acceſſit difficultas deglutiendi, ubi aſſumpta per os & nares rejicerentur, faucibus quaſi tu-

ne

ne ſubito conſtrictis. Subinde opiſthotoni initia obſervavi.

Die 27 Junii infuſum radicis valerianæ ſylveſtris dedi; ſed ſanguinem miſi bis, priusquam remedium aliud propinarem. Addidi & camphoram radici huic. Nil profuit.

Tandem prima Julii balneum prima vice dari curavi. Mox omnia meliora.

At circa ſextam Julii nil ulterius profeci. Curatio ſubſtitit. Mane 6. Julii ſtrangulationis & ſuffocationis ſenſus in gutture. Lente omnia movet; maxilla ut ante. Sumit hodie gr. IX opii; mane & veſperi balneum.

10. Julii. A biduo iterum non emendatur; difficilis, & aſthmatica reſpiratio tota die; veſperi tamen & noctu magis. Pedes oedematoſi; a biduo parca & ſtranguriosa urina. Rigiditas manet, quin iterum major fit. Hodie ſumpſit veſperi grana tria mercurii dulcis, & ſimul adhibuit frictionem mercurialem. Item ob crura valde oedematoſa & nocturnum aſthma, dedi mixturam diureticam, & a balneo abſtinui.

15 Julii, primum ſalivationis ſignum, itemque levamen ſimul ſenſit. Mobiliora omnia; non autem maxilla. Ob mixturam diu-

diureticam multum mingit. Iterum cubare poteſt absque ſenſu ſuffocationis, & conſtrictionis in thorace.

18. Mane purgans ſumſit. A meridie vix ulla ſalivatio, & denuo aliqua rigiditas in dorſo; minor & tardior brachiorum mobilitas. Sumit:

Rec. G. galbani:
Aſæ fœtidæ $\bar{aa}$ dr. ij.
Camph.
Caſtor. $\bar{aa}$ dr. β.
Eſſ. ſuccini. q. ſ.
Fiant pil. gr. iij. quater per diem ſumat pilulas iij.

Die 20. Julii frictio. Inde *nova* ſalivatio, etiam *cruenta*. Attamen omnia mox agilia facta ſunt. Continuavit pilulas. Sumpſit gargariſma adſtringens, commode habuit. Paulo poſt convaluit ex toto; nam die 24. Julii vix ulla ſalivatio, plena agilitas. Sanatus quinque ſeptimanis.

Observatio. XXXII.

Tetanus maxillæ.

Hortulanus 42 annorum, ſanus antea, mane 20. Junii, os difficulter aperit; laſſi-

tudo, calor, ſitisque. 21 Junii aliquoties dejecit. 22. Junii accedit oppreſſio thoracis, reſpirandi difficultas, introtractio abdominis, hypochondriorum conſtrictio; artus inferiores rigent, inter loquendum præcipue. Dejectiones mucoſæ.

26. Junii ad nos venit. Tetanus maxillæ inferioris. Oppreſſio aſſidua pectoris ad infimum ſternum; contractionis in ſcrobiculo ſenſus; dolor hypochondriorum; artuum inferiorum rigor, ſub loquela auctus. Sitis & calor aſſiduus; pulſus plenus, fortis, durus. Venæ ſectio inſtituta eſt.

A venæ ſectione pulſus valde mollis, non febrilis; qualis neque antea fuit. Data eſt mixtura ex toto ſambuco cum gr. 1. tartari emetici, poſtquam præmiſſum eſſet lene purgans ex uncia una ſalis amari. Modicum levamen; os paululum magis diducit.

At vero mane die 30 totum rigidum reperio, & flecti antrorſum neſcium. Os tamen, uti heri, paululum diducit. Non febrit. Abdomen introtractum, durum, ligneum; validius riget, ſiquis ipſum alloquatur, aut ſi ipſe agere quid, ſurgere, aut

iut loqui conetur. Data ſunt eo die grana v. opii in mixtura totius chamomillæ.

1. Julii data ſunt grana vij opii in mixtura chamomillæ. Rigor paulo minor hoc die. Nulla hucusque febris. Dein grana v, & quotidie ſemel balneum.

23. Julii quotidie balneo eſt uſus; ſemper levior eſt, & agilior poſt balneum, utitur opio, quod alvum illi apertam relinquit. Os plane, & ex toto aperit. Modicus ſolum dolor ad articulationem maxillæ lateris ſiniſtri. Subinde introtractio abdominis adhuc, tamen non magna.

Convaluit paulo poſt; exactis circiter octo ſeptimanis.

Veſicantia ad nucham poſita nil profuere.

Observatio XXIII.

Paralyſis.

Famulus 32 annorum achoribus in infantia laborabat, omni anno redeuntibus; nil remediorum adhibuit. A duodecim annis, redeuntia hæc omni menſe ulcera capitis, inunctione vitelli ovi butyro ſubact

exſiccare ſolet. Ante ſex menſes abſceſſus in glandula ſubmaxillari dextra ortus ovum gallinaceum magnitudine æquans, cataplasmate emolliente applicato rumpebatur. Ante novem ſeptimanas ſimilis abſceſſus in parotide ſiniſtra naſcitur, eodem modo ſanatus. Minores in collo tumores variis in locis apparentes cineribus calidis applicatis diſſipavit.

Ante quinque ſeptimanas febre tertiana admodum miti corripitur; elapſis autem 14 diebus hauſtu vinoſo ab alio famulo exhibito proximus equidem paroxysmus emanſit; at altera mox die dolor ad utramque claviculam, per brachium totum ad digitorum usque articulos, & per utrumque femur ad digitos pedis usque excurrens; aſſiduus ferme ad genua & femora, tepore lecti plurimum exacerbatus. Per diem ſenſum quemdam ingratum caloris ex capite per pectus dorſumque ad artus tam ſuperiores quam inferiores ſeſe diffundentem conqueritur; ſimul vertiginoſus fit, viſus obſcuratur, pectus opprimitur, artusque omnes tremunt.

5ta Oct. 1776. in noſocomium ſuſcipitur. Eadem ſymptomata ſubinde per diem

re-

redeunt. Ceterum nulla febris. Emulſum purgans. Dein datum eſt ſequens:

Rec. Extr. aconit.

Sulph. antimon. aurat. 3 præcip.

āā dr. j.

M.

F. pil. gr. ij. omni quarta hora duas ſumat, cum vaſculo decocti bardanæ, lapathi, taraxaci.

Alvus inde aliquoties mota; & ſudor fœtidus, copioſus, cum levamine dolorum, & faciliores motus.

9. Faſſus eſt, ſe aliquoties gonorrhæis laboraſſe, dolores nocturnos ſe habere. Hinc ſumit ſequens:

Rec. Extract. aconit.

Sulph. antim. aurat. 3. præcip.

āā unc. ij.

Mercurii dulcis ſcrup. j.

M.

fiant pil. gr. ij. Sexies duas, dein tres ſumat.

11. Oct. melius habet. Brachia emendantur. Crus dextrum facilius extenditur, dolores etiam crurum mitiores; at perſtat debilitas genuum. Vigor major brachiorum.

18. Brachia emendata ſunt. Crura abſque dolore, ſed adhuc debilia ſunt. Scrophulæ colli nondum emendatæ. Sed ne ſervitium amittat, perfectam curationem non exſpectavit, ſed hac die diſceſſit.

SPARSA.

Ren deficiens.

Juvenis 14 annorum utroque parente orbus, & pauper, ab aliquot annis omni æſtate, & autumno catarrho laborabat, corpore humidiuſculo, & cum aliquo labore, etiam, cum ſanum ſe diceret, reſpirans.

A quatuor diebus denuo & validius tuſſit, pauca, mucoſa rejiciens. Calet frigetque per vices, & intumet toto corpore tumore albo, paſtaceo, veſtigia prementis digiti retinente. Os amarum ſemper, & inappetentia.

Tandem ad nos venit. Solventia data ſunt. Factæ venæ ſectiones; nil profuerunt. Difficilius enim ſpirabat; ſanguis cruſtam denſam, diffuſam, tenacem, flavovirentem habuit. Pulſus vegeti; orthopnœa; ſtrepitus inter ſpirandum, & mors.

Pul-

Pulmo totus inflammatus, non diriſſime tàmen. Pauca aqua in utroque cavo thoracis & pericardio.

Defuit ex toto ren ſiniſter, cum uretere, nec ejus veſtigium in veſica fuit. Ren dexter debitæ magnitudinis, uti & ejusdem ureter, & parva veſica, contractaque, ac ſana.

Serum multum in omni tela celluloſa.

* *
*

Quæſtio a me aliquando publice & ſtatuto etiam præmio proponenda.

Quæſtio proponi poſſet, ſtatuto præmio, quomodo omnes ab *Hippocrate* ad nos usque factæ obſervationes chronologice, & juxta ordinem quemdam certum ac determinatum colligi ità poſſent, ut tandem appareat, quousque pervenerimus obſervando. Quæritur ergo:

1) Quibus mediis *breviſſime* & *facillime* omnes obſervationes poſſent innoteſcere, cum ſint diſperſæ per tot libros, tam vario idiomate conſcriptos. Quæritur igitur hic compendium *ſumptuum*, *laboris*, *temporis*.

2) Quo ordine digeri deberent hæc obſervata, an eo quo uſus eſt e. g. Cel. *Trnka* in hiſtoria cophoſeos? an alio, & quo.

3) Cum hoc opus non ſit unius hominis, quomodo *apte* diſtribui id inter plures poſſet, ut ne alter alterum impediat, ſed potius juvet?

4) Quomodo condi quædam ſocietas poſſet, vel uno vel etiam pluribus & diſſitis in locis.

5) Ex quo fundo ſumptus neceſſarii poſſent repeti.

* * *

Alia quæſtio.

Quæ media ſunt efficaciſſima prohibendi, ne artem exerceant imperiti? certum enim eſt:

1) Examina, prout ubique locorum ſunt, non ſufficere.

2) Medicinam theoreticam neutiquam ſufficere, etſi completiſſima eſſet theoria, ſed *multum* inſuper uſum requiri.

3) Hinc absque *longo* uſu, ſub manu periti artificis, neminem poſſe genuinum medicum fieri, etſi perfectam habuerit theoriam, niſi *tempore* longo, & periclitando, certum eſt

4) Satius eſſe *nulla* uti medicina, quam non *indicata*.

* *
*

Apoplexia.

De natura & medela apoplexiæ necdum ita conſtat, quemadmodum optarem. Nondum adeſſe videtur vera diviſio apoplexiæ. Dubia etiam movit cel. *Weikart*. *Quasdam* ſpecies ſolummodo puto determinari poſſe ex *cognito morbo epidemico*. Conſtat enim & apoplexiam certis temporibus eſſe epidemicam; ſequetur autem tunc temporis indolem epidemicam.

* *
*

Inſitio petechiarum & miliarium.

Petechias peſſimas & miliaria, curavi per inſitionem diverſimode inſtitutam, in alios propagare, ſed nullum obſervare contagium licuit.

CON-

CONSPECTUS MATERIARUM

TOMI SEPTIMI.

SECTIO I.

Ephemerides anni 1781.
—— anni 1782.

SECTIO II.

Hiſtoriæ morborum, & ſectiones cadaverum.
Hiſtoria I. Pleuroperipneumonia cum vitio bilioſo & pituitoſo.
—— II. Hernia ſcrotalis incarcerata.
—— III. Phthiſis.
—— IV. Tabes ex ulcere pulmonum & renum.
—— V. Phthiſis.
—— VI. Febris bilioſa cum inflammatione thoracis complicata.
—— VII. Inflammatio viſcerum abdominalium absque conſuetis ſignis.
—— VIII. Inflammatio pectoris.
—— IX. Hydrops.
—— X. Phthiſis.

XI.

Hiſtoria XI. Vomica pulmonum.
— XII. Angina membranacea in ſtadio adhuc inflammatorio conſtituta.
— XIII. Pleuritis.
— XIV. Vomitus chronicus.
— XV. Apoplexia.
— XVI. Hydrothorax.
— XVII. Peripneumonia latens.
— XVIII. Hydrops thoracis & pericardii poſt dyſenteriam.
— XIX. Pleuroperipneumoniaillioſo-putrida.
— XX. Febris putrida verminoſa.
— XXI. Pleuroperipneumonia200bilioſa
— XXII. Febris maligna.
— XXIII. Morbus malignus.
— XXIV. Meteorismus.
— XXV. Ulcus ventriculi.
— XXVI. Hydrothorax.
— XXVII. Hydrops.
— XXVIII. Hydrops.
— XXIX. Atreſia Vaginæ.
— XXX. Febris puerperarum.
— XXXI. Hydrothorax.
— XXXII. Colica letalis ob anguſtata inteſtina.

dam

Hiſtoria XXXIII. Scrophulæ.
—— XXXIV. Hydrothorax.
—— XXXV. Hœmoptoë a colluvie bilioſa.
—— XXXVI. Hydrops thoracis.
—— XXXVII. Abſceſſus pericardii poſt lapſum.
—— XXXVIII. Mors apoplectica.
—— XXXIX. Hydrops thoracis.
—— XL. Pleuroperipneumonia.
—— XLI. Febris maligna.
—— XLII. Phthiſis.
—— XLIII. Pleuroperineumonia.
—— XLIV. Febris maligna.
—— XLV. Apoplexia.
—— XLVI. Apoplexia.
—— XLVII. Hernia.
—— XLVIII. Pleuritis.
—— XLIX. Pleuroperipneumonia.
—— L. Spina bifida.
—— LI. Dyſenteria.
—— LII. Pleuroperineumonia.
—— LIII. Empyema.
—— LIII. Veſiculæ ſelleæ inflammatio.
—— LIV. Febris maligna.
—— LV. Aſthma hydrothoracem mentiens.

Hiſtoria LVI. Hydrothorax.
—— LVII. Phthiſis.
—— LVIII. Phthiſis.
—— LIX. Empyema.
—— LX. Hernia ſcrotalis.
—— LXI. Phthiſis.

SECTIO III.

Obſervationes varii argumenti.

Obſervatio I. Abſceſſus ad coſtas.
—— II. Hæmoptoë.
—— III. Febris maligna.
—— IV. Herniotomia.
—— V. Hemiplegia a fumo carbonum.
—— VI. Puerpera ex nimia ſuppuratione brachii, & febre æſtiva anni 1777. febricitans.
—— VII. Hæmorrhagia uteri a vitio gaſtrico.
—— VIII. Febris lenta nervoſa.
—— VIII. * Aſthma pituitoſum.
—— IX. Herniotomia.
—— X. Hydrothorax.

Obſervatio XI. Aſthma.
—— XII. Hernia incarcerata.
—— XIII. Epilepſia.
—— XIV. Catharrhus antiqus.
—— XV. Cynanche.
—— XVI: Epilepſia.
—— XVI. Colica pictonum.
—— XVII. Colica ſaturinna.
—— XVIII. Colica pictonum cum febre bilioſa.
—— XIX. Paralyſis brachii incipiens.
—— XX. Mania.
—— XXI. Colica biliofa.
—— XXII. Hydrops.
—— XXIII. Colica pictonum.
—— XXIV. Colica pictonum.
—— XXV. Colica biliofa ſaturninam mentita.
—— XXVI. Febris maligna.
—— XXVII. Colica pictonum.
—— XXVIII. Aſcites.
—— XXIX. Febris bilioſo-putrida.
—— XXX. Peripneumonia bilioſa.
—— XXXI. Tetanus
—— XXXII. Tetanus maxillæ.
—— XXXIII. Paralyſis.

SPAR-

SPARSA.

Ren deficiens.
Quæſtio a me aliquando publice & ſtatuto etiam prœmio proponenda.
Alia quæſtio.
Apoplexia.
Inſitio petechiarum & milliarium.

INDEX

IN

PARTEM SEXTAM ET SEPTIMAM

A.

Abdomen aqua repletum. VII. p. 135.
— — ſero flaveſcente repletum. VII. p. 109.
— — tumens puerorum. VII. p. 163.
— — tumidum emetocatharſi ad mediocritatem reducti. VII. p. 351.
Abortus definitio. VI. p. 319.
— quandonam dicatur. VI. p. 314.
— procurandi modi. VI. p. 321.
— quomodo probandus. VI. p. 323.
— variæ de illo quæſtiones. VI. p. 323.
Aborticidium duplex. VI. p. 320.
Abſceſſus ad aures pleuritidem ſanant. VI. p. 64.
— — — in vomica pulmonum. VI. p. 37.
— — ad coſtas VII. p. 257.
— — pericardii poſt lapſum. VII. p. 172.

— — pulmonum. VII. p. 111.
Abſynthium anthelminticum remedium. VI. p. 161.
Acidorum effectus in corpus humanum. 1. Evacuationes ſollicitant. 2. putredini reſiſtunt. 3. ſanguinis orgasmum temperant. 4. delirium avertunt. VI. p. 497.
— mineralia ingeſta quomodo enervanda. VI. p. 304.
— quando in febribus inflammatoriis conveniunt. VI. p. 497.
— illorum doſis. VI. p. 498.
— vegetabilia. VI. p. 495.
Adſtringentium uſus in ſputo ſanguinis VI. p. 36. & p. 178.
Ægri in narrando non interrumpendi. VI. p. 271.
— ex morbis inflammatoriis citius convaleſcunt, quam ex bilioſis. VI. p. 472.
Aerumnæ febrim bilioſam invitant. VI. p. 199.
Affectus ſoporoſi in febribus, unde oriuntur. VI. p. 241.
Affectiones topicæ pectoris in initio bilioſarum. VII. p. 270.
— — capitis a bile. VI. p. 226.
Alvus conſtipata a victu exſiccante. VI. p. 108.
— difficilis ex coarctatione inteſtini VI. p. 181.

— libera in morbis capitis. VI. p. 15.
— hæmoptoicis ſervanda. VII. p. 168.
— lubrica. VI. p. 23.
— obſtructa a nimia venere. VI. p. 55.
— in dolore capitis. VI. p. 23.
— poſt incarcerationem herniæ cur ſubinde pergit. VII. p. 55.
— ſicca Romanorum. VI. p. 77.
— obſtructa in colica pictonum opio reſeratur. VI. p. 432.
— ſicca a potu multo vinoſo acidoque. VI. p. 249.
— in morbis examinanda. VI. p. 288.
Amauroſis in colica pictonum. VII. p. 387.
Anaſarca in viris. VII. p. 8.
Aneurisma internum aliquo modo ſanatum. VI. p. 129.
— — illius ſigna. VI. p. 104. p. 134.
— — methodus pallians. VI. p. 72.
Angina, quando in hoc morbo purgans, quando veſicans. VII. p. 473.
— inflammatoria p. 474.
— — — quomodo curanda. VI. p. 474.
— membranacea in ſtadio adhuc inflammatorio conſtituta. VII. p. 91.
— ſeroſa. VI. p. 474.
Animi quies nimia. VI. p. 142.

Animi recreatio neceſſaria. VI. p. 133.
Anodynia. VII. p. 266.
Anxietas præcordiorum in febrium initio unde oriatur, & quomodo hæ febres ſanandæ. VI. p. 70.
Annuli ſcarificatio in hernia incarcerata. VII. p. 56.
Antifebrile *Baglivii.* VI. p. 132.
Anthelminticum *Georgii Batei* VI. p. 8.
Antiphlogiſtica remedia, quænam? VI. p. 491.
Appetitus bonus viſcerum œconomiam bonam denotat. VI. p. 4.
— in morbis quid doceat. VI. p. 286.
— magnus, ſymptoma phreniticum. VI. p. 74.
— repentinus. VI. p. 21.
Aphonia in colicaillioſa. VI. p. 93.
Apoplexia. VI. p. 134. 90. VII. p. 100. 201. 20. 4.
— — medendi methodus. VII. p. 13.
— — pituitoſa. VI. p. 40. 93.
— — ſanguinea. VI. p. 93.
— — apoplecticorum in cadaveribus aqua in pericardio reperta. VII. p. 177.
— — apoplexiæ ſpecies nondum determinatæ VII. p. 361.

Apoplexia, nullum vitium in cadavere apoplectici repertum. Vll. p. 361.
Apoſtema auris. Vl. p. 17.
Apparatus crudi in primis viis ſigna. Vl. p. 161.
Aphtæ. Vl. p. 173.
Aquarum mineralium uſus contra calculum. Vl. p. 62.
Aqua ſpadana menſes ſiſtit. Vl. 95.
— nitrata. Vl. p. 149.
Ariſtolochicum. Vl. p. 205.
Arnicæ flores in febre putrida. Vll. p. 12.
Arſenico ſumpto quid agendum. Vl. p. 303.
Arteriæ in pulmone tabido craſſiores membranas exhibentes. Vll. p. 67.
— epigaſtricæ ſitus varius. Vll. p. 56.
Articularii dolores ſcorbuticæ indolis. Vll. p. 41.
Aſperæ arteriæ & bronchiorum membrana profunde inflammata. Vll. p. 93.
Arthritis colica & diarrhæa ſoluta Vl. p. 49.
— urina craſſa & copioſa ſoluta. Vl. p. 63.
— in illa nocent purgantia & ſudorifera fortiora. Vl. p. 49.
Aſcites. Vll. p. 340.
Aſthma ex ſcabie retropulſa. Vl. 53.
— humorale. Vl. p. 53.
— — a cruditate ventriculi. *ibidem*.
— mulierum quomodo curandum. Vl. p. 54.

Aſthma ſiccum, quomodo curandum. VI. p. 54.
— ex thorace oſſificato. VII. p. 73.
— emetico ſanatum. VII. p. 134.
— convulſivum unde oriatur. VI. 54. p. 58.
— frequentius ſub cœlo frigido & humido. VI. p. 53.
— hydrothoracem mentiens. VII. p. 231.
— cura. VI. p. 131.
— & tuſſis compreſſo capitis vertice ſilens. VI. p. 103.
— purgantibus & roborantibus curatum. VII. p. 11.
— pituitoſum. VII. p. 286.
Atonia univerſalis. VII. p. 38.
Atreſia vaginæ. VII. p. 141.
Atrophiæ in pueris cura. VI. p. 167.
Aurium morbi non ſpernendi. VI. p. 16.
— dolor. VI. p. 127.
Auſter. VI. p. 186.

B.

Ballonius variolas vocat morbillos. VI. p. 175.
Balnea. Uſus illorum varius. VI. p. 125.
— quando in hernia incarcerata adhibenda. VI. p. 298.
— pulmonica in pleuritide. VI. p. 157.

Bal-

Balnea Pythagoreorum. VI. p. 138.
Bardanæ radix in lue venerea. VI. p. 47.
Bezoardicum joviale. VI. p. 79.
Bilis viſcidæ ſigna. VI. p. 31.
— tenuis ſigna. VI. p. 31.
— amurcoſa purgantibus evacuanda. VI. p. 31.
— cum acidis mixta. VI. p. 143.
— nigra. VI. p. 245.
— bilioſi inedia læduntur. VI. 167.
— bilioſæ labis cum colica ſaturnina complicatio unde ?
Bolus intra œſophagum hærens, quomodo tractandus. VI. p. 306.

C.

Caput affectum in pulmonum inflammatione. VI. p. 237.
— capitis vulnera. VI. p. 101.
— contuſiones. VI. p. 116.
— capitis morborum origo. VI. p. 259.
— — morbi ab Hippocrate deſcripti. VI. p. 23.
— morborum ſigna ex urina. VI. p. 23.
Caffee potus in ſtomachi debilitate prodeſt. VI. p. 12.

Caffee potus capitis morbos producit, VI. p. 23.
Cacochymici frigent. VI. p. 27.
Calculi renalis ſignum. VI. p. 62.
— renum. VI. p. 212.
— veſicæ ſigna. VI. p. 115.
— fellei origo. VI. p. 142.
— calculus per ureteres deſcendens. VI. p. 17.
Calor in morbis. VI. p. 275.
Calidiora remedia nocent in fluore albo. VI. p. 266.
Camphoræ uſus in colica pictonum. VI. p. 397. & ſeq.
Cantus & vociferatio, quibus conveniat. VI. p. 124.
Canaliculi Morgagniani deleti. VI. p. 51.
Canon *Baglivianus*. V. p. 137.
Catalepſis febribus accedens. VI. p. 241.
— — quartanæ ſuperveniens. VI. p. 225.
— — cura in & poſt paroxysmum. VI. p. 57.
Catarrhus antiquus. VII. p. 134. p. 300.
— — ſuffocativus a *Baglivio* deſcriptus. VI. p. 42.
Catarrhi a graviditate repetendi. VI. p. 230.
— — natura & remedium. VI. p. 109.
Cauſæ occaſionalis inveſtigatio in morbis obſcuris VI. p. 130.
— mortis abſolute letales. VI. p. 343.

Can-

Cauſæ mortis abſolutæ, illarum diviſio. *ibid.*
— *univerſaliter* abſolute letales.
— individualiter abſolute letales. VI. p. 344.
Cauſus bilioſus. VI. p. 219.
Cauteria crurum in aſthmaticis. VI. p. 52.
— in brachiis. VI. p. 23.
Cautela de uſu aperientium. VI. p. 101.
Cavum thoracis aqua repletum. VII. p. 263.
Celſi præceptum de V. S. VI. p. 171.
Cephalalgia periodica. VI. p. 104.
— — idiopathica.
— — ſymptomatica. VI. p: 22.
— — cephalalgiæ ſolutio. ibid.
Cepa lumbricis infeſta. VI. p. 160.
Cerebrum, illius actiones. VI. p. 166.
— — morborum cerebri notitia & curatio difficilis. VI. p. 255.
— — cerebri lobus uterque cum ſinu falciformi evaleſcens. VII. p. 128.
— — & cerebelli ſubſtantia flacciddiſſima. VII. p. 128.
— — ſubſtantia ſolidior. VII. p. 75.
— — ventriculi aqua repleti. VI. p. 90. VII. p. 218.
— — compreſſio. VI. p. 349.
— — concuſſio. VI. p. 351.

Ceruſſa butyro admixta. VII. p. 311.
Chloroſis frequens VII. p. 7.
Cholera humida & ſicca. VI. p. 217.
Chocolatæ uſus VI. p. 24.
Chorea S. Viti ſanata. VII. p. 26.
Clyſteres nocent in dyſenteria. VI. p. 56.
Cicuta & aconitum cum Kermete minerali junctum. VI. p. 480.
Cinamomum maſticatum contra diarhæam. VI. p. 55.
Coagulatio; quid *Baglivius* ſub hoc verbo intelligat VII. p. 76.
Cœlius Aurelianus VI. p 83.
Colicæ. Species variæ a *Baglivio* deſcriptæ VI. p. 189.
— a perfrigerio pedum. VI. p. 48.
— biliofa. VII. p. 320.
— convulſivæ deſcriptio. VI. p. 152.
— endemica a vinis acidis. VI. p. 49.
— convulſiva VI. curata. VI. p. 192.
— a plethora. VI. p. 6.
— biliofa ſaturninam mentiens. VII. p. 334.
— colicus dolor in arthritidem mutatus. VI. p. 49.
— hæmorrhoidalis VI. p. 29.
— letalis ob anguſtata inteſtina. VII. p. 153.
